

V
B J
C

1,21 R

ATRIUM SAPIENTIÆ APERTUM

SEU

EXPOSITIO

In Primum Caput Libri Sapientiæ Quatuor Partibus EXDIVISA Variis Doctrinis & Annotationibus CUMULATA

Multorumq; præsertim Concionatorum Usibus,

A P. Antonio Swirczynski Polono Societatis IESU Theologo


ACCOMMODATA

Anno Incarnatæ Sapientiæ. M. DCC. XVI.

Typis Collegii Leopoliensis Soc: IESU.



2 Księgozbioru Jakoba hr. Gieysztora



Pridem Præſuleos, Tibi Fama parabat honores,
Seq; Tibi ſolus, ſponte parabat honor.
Ergo Sacras inferre Cruces, in ſtemma volebat,
Inferriq; Sacræ non renuêre Cruces.
Sed quia Te Patriis contentum viderat eſſe,
Non audebat adhuc inſinuare ſuas.
Credo tamen, poſtquam nova ſenſerit ATRIA pandi,
Hoc, ſibi recluſum, non dubitabit iter.

PERILLVSTRI REVERENDISSIMO DOMINO

D. CONSTANTINO

De MROZOWICE

MROZOWICKI

Iuris Vtriusq; Doctori.
Ecclesiæ Metropolitanæ Leopoliensis
ARCHIDIACONO
Canonico, Buscensi, Rohatinensi, Præposito &c:
Mecænati Amplissimo.



Ntequam Sapientiæ Atrium liber aperiat, Domum Tuam pulsat, PERILLVSTRIS REVERENDISSIME DOMINE. *Veluti enim ad Honoris Templum, nisi per Virtutis ædem accessus patuit, Ita ad Sapientiæ honoratos lares, nulla certior*

tior, nulla compendiosior, nulla tritior via est, quàm per Vestræ Domûs limina; utpote gentilitiis Familiæ Vestræ calcata Soleis, eruditis Signata Majorum Vestigiis. Permittes verò, ut in primo limine, honore Domûs Vestræ defixa subsistat admiratio. Ædisq; MROZOVICCIANÆ Splendoribus obtutum pascat curiosum, lustret prodigia, veneretur Majestatē. Domus hæc aut Capitolium, ob tot Capitum, à quibus majorem incepit Historia gloriam, aut Solis ob illustrem originis lucem, regia est, aut certè Famæ Palatium, in quo non audiuntur tantùm laudanda, sed fiunt; cui pro centum januis totidem portas aperuit munificentia, nisi Templum dixeris MROZOVICCIANI NOMINIS, NVMINI consecratum, tot impensis, quot meritis, tot sudoribus, quot pro Patria exanthlatis erectum curis. Templi hujus tectum non aliud est, nisi sublimitas, non alia frons, nisi facies Reipublicæ, non alia, nisi quæ & Patriæ fundamenta, non alia nisi magnorum Vestigiorum planta, non alia porta, nisi in tot Victoribus triumphalis, Ara non alia, nisi cui honor cessit, cruenta, quia ad purpuræ usq; sanguinem, Victima. Quos ego hic Penates, quos Semideos (nisi quòd integri esse malitis homines,

mines, quàm Semidei) video? ipsi propè servi grandis familia. Ardent undequàq; illustres ceræ, & fumosæ quantumvis imagines, nihil præter lucem retinēt. Superbit illâ facie, illo vultu, quèm pingit color, vixq; sustinent tabulæ Virorum umbram. Hîc honoris, hîc militis, hic Mystæ imago, id est idea pendet, ipsâ caret vitâ effigies, quamq; vivam credideris, quia aliquid grande spirat, Non alia hic oculi, nisi Patriæ prospicientis, despicientis belli pericula, non alia frontis, nisi imperterritæ, non alia vultûs, nisi aut facundi, aut veridici effigies. Vel pictam manum formidaret barbarus, tantùm enim bellicâ effecistis fortitudine, ut umbræ Vestræ partem exhorrescat hostis. Veneror hîc demissâ in reverentiam memoriâ STANISLAI MROZOWICKI vultum, qui ut plus affinitatis habuisset, suo cum Stanislao, Szczepanoviorum ex Matre contraxit Nomen, etiam hac in parte non impar STANISLAO, quòd nullum pro Patria ensem metueret, hoc tantùm dissimilis quòd nullum audacem Sibi habuerit adversarium, sed hostium timor esset. ALEXANDRI interim in imagine hæret cogitatio, Macedonem dixisses, ni Polonus dici mallet, potiùsque imitari Magnos, quàm apellari Maxim9 duceret. Idem

Stanislaus ex Szczepanovia Mrozowicki Miles fortissimus

Alexander Mrozowicki heros insignis.

carcerem Scythicum & tandem mortem heroicam in acie subiit.

tamen quod Macedo Dario, Osmanno Alexander erat. Postquam toties profligasset Barbarum in vulneris lenimentum, & doloris solatium se obtulit, quia capi, quàm fugere maluit, in prædam cedere, quam ex acie discedere. Superato sæpiùs hoste, etiam aliquot annorum carcerem vicit, nunquam minùs de sua, plus de Patriæ libertate cogitans, quàm in vinculis. Torquatum illum in compedibus & tantò plus Patriæ obligatum, quantò arctiùs stringeretur, putares: verumtamen & Socrates erat, qui carcerem intrare videbatur: loco ignominiam detracturus. Nulla ibi tædia passus, nisi ad victorias; si gementem aliquando audiuit hostis (audivit autem rarissimè) ipso prosternebatur sono, quasi gemere nisi dolente non posset hoste, aut præsagium cladis Barbaricæ prodente animo. sed morari tantùm non præcludere triumphorum iter, carcer potuit: quia arctior locus erat, pati Polonæ Virtutis non potuit amplitudinem, hoc effecit tantùm ut majorem hostilis cruoris sitim longiore abstinentiâ irritaret. promptioremq; in Thraces mora redderet. Tantâ enim agilitate leves Tartarorum persequebatur animas, ut non tam ulcisci sua incommoda, quàm servitutis otia compensare videretur. Carcer Scythis erat,

erat, cùm arctaret illorum cuneos. Vbi ergo totum Se Reipublicæ saluti impenderat, impendit & vitam in ea, in qua rem Lechicam stare fecit acie, cecidit, & veluti fatigatus triumphis, non mortuus est, sed quievit, eò tamen injurius Poloniæ quòd nimis se liberaliter saluti ejus expēderet, objiceret periculis. Sed novum ego inter fortissimorum Heroum leones DANIELEM video, qui in Mostyscensi arena, in præmium laboris bellici mortem oppetjit: nimirum post tot victorias discedere ex campo noluit, ne aut hostem fugere, aut laboris prœmia petere videretur. Vbi manum manui, ferrum gladio, hostis opponere non audebat, contra inexpugnabilem pectoris arcem, tormenta direxit, ut saltem orbe vinceretur toto, qui parte vinci nequiit. Inde virtute certatur hinc ignibus; ruunt cæco impetu globi, passimq; eos feriunt, quibus parcere voluissent, unus Danielem petiit, eò excusabilis, quòd volentem pro Patria mori vulnerasset, admissus sinu est, ut ex amore Patriæ susceptum esse nemo dubitaret, una ictum Heroém circumstabat dubitatio, an cadendum esset, cecidit tamen ut Se vel hoc probaret hominem, qui ceu aliquod Numen belli, ab hostibus timebatur, ostenderetq; Se non cum fatis pu-

Daniel Mrozowicki ad Mosayskum globo ictus.

gnare, sed cum hostibus, sine ruina tamen aduersarii casus hic esse non potuit, magna enim etiam cùm cadunt feriunt, quos armis edomuit, mole corporis oppressit, Moschos. Novamq; Ætnam illi Senserunt Enceladi. IACOBVM ne præteream? Pusillæ molem staturæ laude bellicâ superavit, provexit meritis. Cum vastissimo ille aliquando Gigante in arenam descenderat, non magìs ferro, quam corporis securo proceritate, despiciebat alto supercilio Davidem Sarmaticum, Teutonicus Goliath, solâq; magnitudinis auctoritate vincendum non dubitavit, nescius Lechicam fortitudinem non cubito examinandam, sed manu, magnanimitate non magnitudine. Aude interim (Polonus Hector agit) nec istam altitudinem frontis, supra ictus ferri Lechici puta, ipsa vastitas majus triumphis spatium præbet, nec solum capitale Vulnus, lethale est, verbis animum, animo ferrum addidit, & simul propè aggressus est hostem, simul fregit, vicit, stravit, vincit, victumq;, ne teste tam nobili careret victoria, in Regis conspectum duxit, eum, quem meruit rei gestæ dignitas tulit plausum. Toto regno pusilli robur corporis supra miracula attollente. Non solùm tunc invicte Heros vicisti hostem, expectationem Civium,

vium, Nobilitatis æmulationem, ſpem Procerum, ſuperaſti, ipſam Vladiſlai in triumpho duxiſti admirationem. Erubuit ſe ipſam protenſæ molis vaſtitas, debuitq; aut certè voluit manceps decreſcere, ut minus probrum videretur. quanquam & decreverat: multum enim de antiqua demiſit ſuperbiâ, quâ Poloniam deſpiciebat fronte, Regiam edoctus venerari majeſtatem. Rapit inde oculum ALBERTI *vultus, Vultus ille à teneris devotus galeis, tot laureis prope inſignis, quot comis, nullam bellicæ ſortis inclementiam, nullam periculorum præſentiam, nullam laborum pro Patria excuſans difficultatem. Primus hic (dare enim exempla quàm ſequi maluit) in adverſa agmina irruere, & quaſi ad triumphum viam oſtendere, primus mortẽ contemnere, imò ſubire etiam docuit. Namq; ubi contra Othomanum, copias duxerat militares, veluti quâdam bellici ſudoris ſiti, quòd hoſtem adhuc non videret, in itinere emortuus, hocq; duntaxat felix erat Oriens, quod ante pugnam* MROZOVICCIUS *occiderit, quanquam & infelicem ſe credere potuit, quòd non illius manu occidiſſet. Hoc eſt non priùs vitam quàm mortem deſerere, non alio gradu ad fata, quàm triumphali deſcendere, non aliter vitæ metam attinge-*

Alberti Mrozowicki intenere, contra Othomanum deceſſit.

attingere, quàm in heroici decursu itineris. Quid stantis Callimachi desides reliquias Roma colat? quasi etiam inanima delubra, stare sit prodigium, Heròes, nunquam, segnes, fata inveniunt. Uno prope pede inimicū altero sepulchra invadūt. Non aliter ex orbe abeūt, quàm hostem insequendo. Inde verò quantum Virorum agmen? Tota familia Vestra grandis exercitus! omnes MROZOVICCII Fabij sed plures quam trecenti, cuncti invicti. Quot quot in hac nati Domo non priùs viderunt lucem, quam flammā senserunt Martis. Non priùs suxerunt lac, quam hostilem sitirent sanguinem. Non priùs audierunt MROZOVICCII quàm fortes, omnes Viri progeniti, & veluti Cadmæa seges (eam enim tantùm falx Vestra messem legit,) cum clypeis, aut ad clypeos nati. Prima hìc infantia ludere nisi per scuta, nescit, ipsa cunabula prope jam sunt Deorū pulvinaria, Omnes hic non dū novēnes jam jurati contra arma Patriæ infesta, Annibales ita ut ipsa Colligationis necessitas, Vos bellicæ gloriæ obliget. Dedecusq; Domùs Vestræ putaretis, aut hostem, aut Orbem contemnendo, non vincere. Idem Vobis, Domûs Vestræ fons est, quod Achilli Lethe, ex quo robur bellicum bibitis, hoc tamen Achilli im-

pares

pares, quod nullâ parte vulnerari pro salute Regni recusetis. Tam virilis Vestra infantia est. Nullus verò in senio capillorum hyemem vidit, nisi sub Caßide inter belli rigores, aut Palladis curas, cánuerit. Scilicet, & in illa ætatis brumâ lauros virere probè nostis, Neq́ ignem ardoris martii debere tepescere, ipsam Annorum maturitatem, conferre auctoritatem Victoriæ. Quousq́ tandem inter armorum spectacula errat curiosa oculi acies? redite tantisper ad pacis vultum lumina, eamq́ in MROZOVICCIANIS legite imaginibus. Ostrzeßoviensem Notarium PAVLVM MROZOVICCIVM, quàm egregiè & pulchriùs quàm olim Cæsarem, suæ pinxêre pennæ, pro Tribunali sæpiùs Iudicem semper incorruptum, semper Aristidem egit. Si Themis judicis ideam efformare vellet, non aliâ eam ex fronte pingeret. Novum in illo Areopagus Lublinensis audivit Paulum, etiam cum gladio, dum contra scelera agendum esset. Non minores enim vitiorum quam hostium estis vindices. Atq́ jam ad Genitoris Tui ora devenimus, (breviores enim ad Te festinantis styli jubent eße desideria.) Ita hic Haliciensem egit Notarium, ut nihil fecerit, quod non fastis notari mereretur: Ita Iudicem ut nihil decreverit

Paulus Mrozowicki Notarius Ostrzeszoviensis.

verit

verit, quod orbis non approbaretur judicio. Nemo illo feliciùs, Regni tractavit negotia, nemo diversas amicorũ lites cõposuit efficaciùs in hoc uno primùm conveniebãt partes oppositæ, quòd GEORGIO vellent uniri Iudice. Commissarium stipendii militaris toties Leopolis vidit, nunquam sine militum elogiis; veluti enim mereri, ita partiri sciebat stipendia. Non imparem Parenti natum, recens adhuc pingit color & meritorum viva recordatio IOANNEM MROZOWICKI Germanæ tibi virtutis, & sanguinis hominem. Auditur adhuc vox Ioannis illius & in Nobilitatis ore, in populi laudibus resonat; vix parem in Rußia suo ævo habuiße audit. Antequam verò ad Te, deflectat oculus, liceat illum á MROZOVICCIANIS imaginibus, in cognatas, & quasi Vestro Sanguine pictis Icones, divertere. Quidquid in OLESNICIIS illustre coloravit honor, in tabulas Domûs Vestræ transtulit, quæcunq; his cum POTOCCIIS, LIPSCIIS, DANILOVICIIS, WISNIOWIECCIIS, KONIECPOLSCIIS, CHODOROWSCIIS, WASZECZYNSCIIS, KROSNOWSCIIS, CETNERIS, PARISSIIS, FIRLEIS, SULGOSTOWSCIIS, DROCHOIOWSCIIS, &c: linea, eam ad vos usq; duxit Apelles Consanguinitas. Tot hîc habetis cerussas, quot pur-

P. R. Dñus Natus ex Olesnicka.

puras

püras, tot ſplendores, quot Celſiſſimos, ac Illuſtriſſimos. Ergo recreata Majorum Tuorum vultibus cogitatio, in Te vivam MROZOVICCIANÆ *ideam Dignitatis, aciem dirigit. Vix enim decus Tuum crederes, pictos tantummodo oſtendere Æmilianos, niſi ſuperſtes Atauorum gloria in Te colores animaret, illuſtraret umbras, Ceras accenderet. Eam adhuc in pueritia geſſiſti frontem, quam è majoribus Tuis Naturæ ſolertia efformaſſe videbatur; quò minor fuiſſes, omnia in Te Anteceſſorum lineamenta colligentis induſtriæ, majus prodigiū cenſebaris. Iam Tibi digna Heroe* MROZOVICCIO *magnanimitas, digna Iudice Prudentia, digna ſenio maturitas; nihil puerile præter annos, nihil humile præter ſtaturam; ſimul pene* Conſtantinus *eſſe cœpiſti, & eſſe magnus. Æternitatem ſe parva ætas credidit, cui pro canitie candorem, pro annis meritorū multitudinem, pro vetuſtate incorruptos Anteceſſorum mores, addidiſti: attollant ſe adhuc eâ felicitate Leobargici Athenæi colles, quod Tuam erudiendo pueritiā in juventute poſſe eſſe Senecam didicerint. Condiſcipuli in Te, morum Magiſtrum, æmuli, laboris Ducem, omnes, doctrinæ, probitatis, exemplar habuêre. Quamcunq; claſſē tereres, ſemper in prima eras. Calcaſti Parnaſſi* Leopoli ſtuduit.

limina

limina? & primo Soleæ Tuæ tactu novum excitaſti Heliconem. Oratorio in campo Olimpiam decurriſti. Ariſtotelem Eurippus, Tu abſorbuiſti Eurippum. Roſas alii comederint, ut dicendi in ſvave condirent genus; Tu roſis loquebaris, effecturus ne ſui Lechiæ Roſini defuiſſent. Iam Te legum evocat Scientia, In coronata Vrbe, in Principe Regni Academo Iuris prudentiæ

Cracoviæ Juris prudentiæ.

Studuiſti, quiquid difficilius eſſet, in Te explicans, Legum obſervantiſſimo, ibi quid ſit reorum vindicem, miſerorum Patronum agere, didiciſti, adeo ut ipſam Iuris prudentiam Tui juris feceris. Vltro illa menti Tuæ, ſe inſinuabat Scientia, eò quòd in Te æquiſſimum Iudicem præviderat. Decorum, omni dote ſcientiæ, Caput, ſolâ caruit laureâ. Non tam enim arboris ſcientificæ folia, quàm à radice quærebatur Sapientia. Quanta tamen certantium de fronte Tua laurearum contentio? quaſi ipſa doctarum præmia frontium, præmii locò frontem tuam expoſcerent. Si in aliorum tempora adoreas ſerpere prodigii inſtar habebatur, in Tuum verticem volabant lauri, quamvis & lento illas paſſu

Zamoſtiæ accipit lauream.

proceſſiſſe non negaverim, in tam alti enim culminis aſcenſu, poterant fatigari. Celeriores Zamoſtienſes videbantur adoreæ, quòd reliquis frontem tuam præri-

pue-

puerint, quanquam grandem Mentis ambitum redimere non poterant, quin infulis locum reliquissent. Taceã. ne doctoralis annuli lætitias de Tua manu sibi gratulantis? parem se orbi credidit, postquam digito Tuo suffecerat, neq; aliâ, quam Te, gemmâ, voluit intumescere. Vt vero Doctorali adoreæ etiam coronam adderes, Regale adjecisti Sacerdotium; ne alium in Te Doctorem haberet Orbis, quam Ecclesiæ. Aris Te devovisti, etiam hîc, pro Numine colendus Cleri. Primam Licentiatus Doctor docuisti sententiam, sæculi licentiã cõtemnere, idq; tãtò præstitisti efficaciùs, quantò plus exẽpla moveant. Iuvat jam è Cathedris peroranti aurem dare, adhuc enim intra Archidiæcesanæ Basilicæ sacros parietes, vocalis eloquentiæ Tuæ tinnit echo. Toties pulpitum illud ascenderas, ut tanquam Tonans contra vitia fulminares, interim audientium oculi tot gemmas inter hæc tonitrua conceperant, quot lacrymas. Orbẽ traxerit Gallicanus, Tu corda. Induratos scelerum constantiâ Memnones, haustâ à Vultu Tuo flammâ adeò disertos effecisti, ut sua etiam fateri crimina potuissẽt. Virtus verò à nemine, quàm à Te suaderetur citiùs, cui pretium facundia, facundiæ dignitatem, dicentis conciliabat auctoritas. Quæ autem hominum audiendi

In Archicãtdedra sæpiùs concionatus.

Te aviditas? veluti non verba, sed nummos, spargeres perorando. Quotusquisq; Catilina erat, quotusquisq; Verres, Tu contra illum Cicero; quotusquisq; Trajanus, Tu Plinius, scilicet & laude digna agere, & laudanda encomiis extollere bene nosti. Quot laudes, eloquentiæ Tuæ, MARIÆ debent encomia, intactam Virginei Conceptûs integritatem, nemo doceret acutiùs probaret nemo. Satisq; evidens esse veritatis poterat argumentû, dixisse MROZOVICCIVM. Habet gratias labori Tuo Ignatius, qui inter laudum suarum numerum, Te recenset suum Oratorem. Iam Doctorem, jam Ecclesiasten, jam tandem Iudicem agis. Nec tantùm verbis, sed ultore gladiô vitia persequeris. Novum justitiæ rigorem Polona Nemesis, sub Iudice induit MROZOVICCIO. Non jam auro silebant partes, sed causæ, ipsum quinimo aurum justum in Te expallescebat Arbitrum. Neq; allevianda criminis sperabatur gravitas, aut aliquem habitura valorem, auri adjecto pondere, cùm Tu ad libram stares. Non eò minus censebas crimen, quòd magno auctore patratum esset; non ideo felix, quia fortunæ; non ideo securum, quia honoratum; non ideo liberum, quia liberale; etiam contra elatos supra vulgum vertices, Iudicibus esse gladium non dubitasti

In octavis Conceptionis maximè Ité in Festo S. Ignatii

Deputatus Tribunalis aliquoties.

tasti

tasti. Vixq; esse tam altam dignitatem, quæ vel secto capite Themidem aliquando adorare non cogatur, dignitatem sententiæ non Personis metiebaris, sed causæ æquitate. Satis ad victoriam causa habuit, dum esset justa. Reos etiam felices reddidisti, quòd Te Iudice causâ caderent, non quærerentq; per crimina, sceleri faventem sententiam. Mitiorem ego jam, quàm Iudicis vultum in Te intueor, quem multiplici venustate decorus ornat honor. Huc præclarè Acti Canonicatûs, non anni sed prope sæcula. Plura Tu in Senatu illo Sacro consumpsisti lustra, quam vivendo alii, unde jam attrita Metropolitanæ hujus dignitatis purpura, inter alia sua decora, ipsam etiam numerat antiquitatem, annos computat, quibus Te ornat. Vix aliquem diu honor patitur, Te ut à teneris complexus est, quia semper amat, constanter fovet, veluti constantior esse à Constantino didicerit. Injurius tamen ipso amore O! honor es, dum poscentibus altioribus Regni subselliis negas MROZOVICCIVM. *Quãtum Tibi honoris, Vicaria in Archidiœcesi dignitas fecerit, adhuc populi tenetur præsenti memoriâ. Cùm tristem* ARCHIPRÆSVLIS *fato,* CONSTANTINI LIPSCII *administrares* INFVLAM, *Ipse*

Aliquot decad: ann: Canon: Leopolien:

Administrator Archiep:

***2 *mereri*

mereri videbaris: Hocq; duntaxat mærorem suum solabatur, quod Te haberet tutorem, speraret Successorem. Et obtinuisset, si ultra illam, Mentem non erexisses, eamq; non finxisses frontis, sublimitatem, quæ ascendi non posset, quia mereri dignitatem, maluisti, quàm accipere. Neq; alias voluisti Cruces colere quã gentilitias. Inferiorem tuâ majestate suspicatus honorẽ cui caput inclinandum erat, & qui nisi demisso in venerationem vultu, quæri debuit; jamq; plùs in Te, quod æstimet Lechia habet, quam in suo Legato olim; quòd nec annulum Archipræsuleum adorare volueris.

Dolet negatam se Tibi dignitas, & majoribus Titulis ulcisci injuriam parat, quanquàm & nunc nihil Tibi, ad Infulas deest præter votum. Tuos enim tantùm annutus expectant dignitates, paratæ expectant infulæ, si Verticem, vel annuendo, inflectas. Interim ARCHIDIACONI contentus munere, eò quòd non possit esse Summum, dum Tuum. Quot Ordini Sacro admovisti Candidatos, tot consecrare merebaris; quot visitasti Ecclesias, tot regere. Mentem Præsulis, hoc in Honore, si non dignitatem habes. Brevibus, laudum Tuarum expediam multitudinem. Ætati, Virtuti, Scientiæ, ipse Tu honor

Archidiaconus Leopoliensis.

nor

or quidam es. Vnde, licèt extra illos fasces, HO-NORIUS.

Ergo jam hospes Domi Tuæ liber, etiam vult esse incola, grandem in illa habiturus Bibliothecam, á Te ipso, supra titulum, felicem se superbit, non immeritó, quòd pro Atrio, domum Sapientiæ, Honoris Virtutis, Templum, aperuerit. Eum verò Tu tanquã domesticum, tanquam Tuum, & Nominis Tui Cultorem admittes, quem offert

MAGNO NOMINI TVO

devinctissimus servus

A. S. S. I.



APPROBATIO

OPus, quod inſcribitur ATRIUM SAPIENTIÆ Apertum, ſeu Expoſitio in primum Caput Libri Sapientiæ &c. &c. á R. P. Antonio Swirczynſki Soc: IESV Theologo, actuali in Collegio Leopolien: multos per annos Sacræ Theologiæ Profeſſore, concinnè & elaboratè conſcriptum, quoniam nihil contra fidem, ac bonos mores in ſe continet, quin imò Eccleſiam Dei novis, tempori moderno accommodatis Annotationibus locupletat; ut quantocius lucem publicam videat, imprimendi facultatem concedo. Dabantur Leopoli in Reſidentia D. D. Canonicorum Leopolien: Die 16. menſis Decembris, Anno 1715.

IOANNES, THOMAS IOSEPHOWICZ Canonicus, S. R. M. Secr: Libr: per Archidiæceſim Leopol: Ordinarius Cenſor,





FACULTAS

R. P. Visitatoris, ac Præpositi V. Provincialis Soc: Iesu, per Poloniam

CVm Opus, quod inscribitur: Apertum Sapientiæ Atrium, &c. á P. Antonio Swirczynski Societatis nostræ, conscriptum, aliquot ejusdem Societatis ad id deputati Patres recognoverint; & in lucem edi posse probaverint; potestate mihi factâ ab A. R. P. N. Michaele Angelo Tamburino, præfatæ Societatis Præposito Generali, Facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas manu nostrâ firmatas, sigilloq; munitas dedimus.

Leopoli 16 Decembr: 1715.

REINHOLDUS GERT





Cum SAPIENTIA latet, & thesaurus est abditus, quid est in utrovis utilitatis? Ecclesiast: 41.

Intrans in Domum meam, conquiescam cum illa; (id est Sapientiâ) non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.

Sap: 8.

SAPIENTIA, violentiâ non aufertur, antiquitate non corrumpitur, communicatione multiplicatur.

Cassian: in Epist.



PRÆLIMINARIS INSTRVCTIO.

QUamvis unius duntaxat Capitis, libri Sapientiæ, expositionem hoc opere in plures partes diviso, complecti placuit, de toto tamen libro, aliqua præmittenda videbantur. Imo autem de Auctoritate hujus libri. 2do, de illius Auctore. 3tio de materia circa quam versatur, aliquid innuendum. 4to tandem occasio & tempus libri conscripti exponendum.

QUANTVM ad AUCTORITATEM LIBRI SAPIENTIÆ

NEgant Judæi & hæretici illum esse Canonicum Sacræ Scripturæ. Imi quidem fortassis ex eo, quia in hoc libro, c. 2. prædicitur mors Christi, ab impijs judæis eidem inferenda. Hæretici vero ideo: quia eorum hæresibus adversatur, vtpote commendans opera bona, laudans castitatem &c: Cæterum de fide est librum Sapientiæ esse Canonicam Scripturam. Tum q. id definitum est in Concilio Florentino. Item in Trident: ses 4. Item in Carthagin: 3tio c. 47. Tum q. id testantur Ss. Patres, inter quos D. August. lib 2. de prædest. SSrum. c. 14. Et lib, 2. de Symb: ita scribit: *Non debuit repudiari Sententia Libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longa annositate recitari* Tum q. Christus & Apostoli, multa testimonia ac Sententias, ex libro Sapientiæ desumpserunt, ut patet Matth, 13, 43. Item 27. 18. Ad Rom: 11. ad Ephes: 6. &c:

Negant hæretici, docet Ecclesia Christi hunc librum esse Canonicum

QUANTUM ad AUCTOREM HUJVS LIBRI.

DE Primario hujus libri Authore, certum est de fide, quod sit Spiritus S. incertum verò est, & apud Patres controversum, quis

Diversi Authorum sensus de hujus

fuerit secundarius Author, seu scriptor illius. Potissimùm tamen quadruplex est opinio.

libri secundario scriptore.

Ima Illorum, qui censent Auctorem hujus libri esse Salomonem, ex his rationibus. Tum q. hic liber in græcis Bibliis, inscribitur. Sapientia Salomonis. Tum q. multi PP. ut Tertul. lib: de Præscript: c. 7. Cyprian: Ambros: Clemens Alexan: S. Basil: &c: tribuunt eum Salomoni. Tum q. ipse Author libri cap: 9. vocat se Regem, & ædificatorem templi, qui alius esse nequit, quam Salomon.

Aliqui à Salomone docent esse conscriptũ.

2do Alij negant eum esse Salomonis, ex eo Tum q. hic liber si esset Salomonis, cognitus fuisset hebræis, & poneretur in Canone Sacræ scripturæ, qui tamen nec hebraice visus, nec in Canone hebræorum positus est. Tum q. liber hic primitus græcè scriptus videtur: Redolet enim græcanicam eloquentiam, ut constare potest ex collatione illiꝰ cum aliis libris. Tum q. Veteres, tres tantum libros Salomonis numerant. Nempe Proverbia. Ecclesiasten: & Cantica. Tum q. ita tenent gravissimi Authores, ut Lyran. Hugo. Dionys. Abulens. Lorinꝰ. Pineda, Driedo, pluresq; alij. Tum q. Author hujus libri alludit ad fabulas Poetarum, qui omnes Salomone fuerunt longè posteriores. Unde S. Hieronymus in Prologo, illam inscriptionem in græcis codicibus dicit falso esse appositam. Alii SS. PP. dicunt ex eo illum vocari Salomonis, quia nomine illius, à quopiam est conscriptus, imitabaturq; illius sensa ac sententias, & inducit Salomonem loquentem. Hinc S. Augustinus lib: 2. de doctr: Christ: c. 8. & lib. 17. de civit: c. 20. dicit. Constantem esse opinionem, ejus libri Authorem, esse IESVM Filium sirach.

Negant alij

3tio alij putant esse Authorē hujus libri Philonem hebræum, qui paulo post Christum vixit sub Cajo Caligula Imperatore. Ita censet Lyranus, Dionys: sed hæc Opinio videtur esse minus probabilis. Tum q. Philo mansit Judæus, infidelis, pertinax, & a Christo alienus. Tum q, Sapientia, ab Ecclesia tota numeratur inter libros veteris testamenti, qui ante Christum sunt conscripti. [T]um q. hic liber citatur à S. Clemente Pontifice Epist: Ima Et à S. Dionys: Areopagita c. 4. ut Sacer, & priscus.

Alii à Philone

Tum

Tum q. à S. Hieron: & aliis viris illustribus texentibus catalogum librorum Philonis, nulla est facta mentio Sapientiæ. Ex quo colligitur, non posse quidquam certi haberi de Authore Libri Sapientiæ.

Alii ab uno ex septuagintà Interpre-

4to tandē aliqui probabiliter conjiciunt quod sub tēpora Ptolemæi Philadelphi scriptus fuerit liber Sapientiæ græcé, ab aliquo è septuaginta du , obus Interpretibus, vel simili Rabbino, in gratiam Ptolemæi Philadelphi qui post Alexandrum cum esset 2dus Rex Ægypti, evocavit ex Judæa Septuaginta duos Interpretes, qui Biblia hebræa in græcum idioma traducerent.

QUANTUM ad ARGVMENTVM HUJUS LIBRI

TRactatur hoc libro de vera Sapientia, illâq, practicâ, quæ est ratio agendorum secundum DEVM; agitur autem potissimùm de illius origine, effectibus ac præmiis, adjungiturq; Vituperatio oppositorum veræ Sapientiæ vitiorum, cum interminatione debitarum iisdem pœnarum.

QVANTVM ad OCCASIONEM & TEMPUS LIBRI CONSCRIPTI

Occasio & tempus cōscripti libri Sapientiæ

REfert Cornelius à lapide quôd mortuo Alexandro magno, Subjugatâ priùs Persarum Monarchiâ, quatuor Duces Primarii diviserunt sibi ejus Imperium. Antigonus Asiam, Antipater Macedoniam, Seleucus Syriam, Ptolemæus Ægyptum occupavit. Judæa verò media inter Syriam, & Ægyptum fuit locus prædæ; unde Ptolemæus abduxit centum viginti millia Captivorum, ubi multi ad gentilismum defecerunt. Post mortem Ptolemæi Lagi, successit Filius Ptolemæus Philadelphus, ab initio gravis, postea addictus Judæis, utpote reconciliatus iisdem per septuaginta duos Interpretes; ex quibus unus ad instructionem hujus Regis videtur conscripsisse librum Sapientiæ & ad consolationem, confirmationemq, Judæorum, ne à DEO, rectâq, fide ad idola ægyptiorum deficerent.

LIBRI SAPIENTIÆ.
Caput. I.

1. 
Iligite Iustitiam, qui judicatis terram. Sentite
de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis,
quærite illum.
2. Quoniam invenitur ab his, qui non tentant
illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.
3. Perversæ enim Cogitationes separant à DEO, probata autem vir-
tus corripit insipientes,
4. Quoniam in malevolam animam, non introibit Sapientia, nec
habitabit in corpore subdito peccatis.
5. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à
cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveni-
ente iniquitate.
6 Benignus est enim Spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledicum
à labiis suis: quoniam renum illius testis est DEUS, & cordis illius
scrutator est verus, & lingvæ ejus auditor.
7. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod
continet omnia, Scientiam habet vocis.
8. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet
illum corripiens judicium.
9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: Sermonum autem
illius auditio ad DEUM veniet, ad correptionem iniquitatum il-
lius.
10. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum
non abscondetur.

A
11. Custodite ergo vos á murmuratione, quæ nihil prodest, & á
detractione parcite lingvæ: quoniam sermo obscurus in vacuum
non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam.
12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque ac-
quiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.
13. Quoniam DEVS mortem non fecit, nec lætatur
in perditione vivorum.
14. Creavit enim ut essent omnia: & Sanabiles fecit
nationes orbis terrarum: & non est in illis
medicamentum exterminii, nec inferorum
regnum in terra:
15. Iustitia enim perpetua est, & immor-
talis, Injustitia autem mortis est
acquisitio.
16. Impij autem manibus, & verbis
accersierunt illam, & æstiman-
tes illam amicam, defluxe-
runt, & sponsiones posue-
runt ad illam: quoni-
am morte digni sunt
qui sunt, ex par-
te illius.



SYNOPSIS CAPITIS & DISPOSITIO OPERIS



Ersus Sexdecem hoc Capite continentur, in quorum pene ſingulis, plures Sententiæ, ad varias doctrinas eruendas ſervituræ reperiuntur; proinde ſeorſim quosq; ſensus expendere animus eſt. Tria verò in explanatione ſingulorum præſtare conabor 1mo verba, & ſenſus afferendorum textuùm, juxta mentem Interpretum exponentur. 2do Quæſtiones inde oriundæ, difficultatesq; intervenientes reſolventur, & ad discursus formandos accommodabuntur. 3tio. Annotationes, argumentis de Sacrarum literarum penu, & SS. Patrum teſtimonio deſumptis firmatæ, atq, congrua eruditione exornatæ, plurimum Concionaturis ſubſervituræ afferentur.

Totum autem opus in quatuor partes aut libros dividetur, quarum ſingulæ quatuor versus aſſumpti Capitis explanabunt. Porro materia ſeu argumentum præſentis capitis eſt: imprimis invitantur omnes, potiſſimùm tamen Præſides, ac Regnorum Moderatores, ad amorem veræ Sapientiæ, ad quam inveniendam ac complectendam, efficacia proponuntur media: deinde impedimenta demonſtrantur, quæ vitanda & amovenda ſunt, veram Sápientiam inquirenti.

PARS

PARS PRIMA.

EXPLICANDI CAPITIS.

PRimos quatuor versus hæc Pars continebit, quorum ſinguli juxta ordinem & modum immediatè expreſſum proponentur, ac explanabuntur.

PRIMUS VERSUS.

DIligite Juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in Simplicitate cordis quærite illum.

EXPOSITIO SS. PATRUM

DIligite Juſtitiam qui judicatis terram. Imprimis S. Baſilius in Pſal. 44. ad illa *dilexiſti Iuſtitiam*, dicit: hoc loco imperari non qualemcunq; ſed vehementem Iuſtitiæ amorem, ut deducitur tum ex græco tum ex hebraico textu. Syrus & Arabicus iſta verba: *Iudicatis terram, legit*: *Iudices terræ.* Antonius in Meliſſa pars 2. ſer 9. legit: *Qui judicia exercetis inter homines.* Alii legunt: *Qui regitis terrã*

Per *Iuſtitiam* Cornelius àlapide, intelligit virtutem ſpecialem, vi cujus redditur jus ſuum cuiq; hanc enim Principes tueri debent, velut baſim, & columen Reipublicæ. S. Bernardus ſumit pro Pænitentia

&

& patientia in quâvis tribulatione. Chriſtophorus à caſtro, aliiq́, Iuſtitiam hîc accipiunt pro complexo virtutum; quælibet enim virtus præſcribit ea, quæ ad officium hominis ſpectant, ut honeſtè ſecundùm rationem, legem & voluntatem DEI vivat. Vatablus hoc loco; pro *diligite Iuſtitiam*, ponit: *diligite Sapientiam*. Unde noſter à Caſtro ita hunc locum exponit: Vos ò Principes, rectoresq;, hominum, à quibus prodit totius populi ſalus, diligite virtutem, & Sapientiam ſectamini.

Sentite de Domino in bonitate. Imprimis S. Hieronymus in c. 55. Isaiæ legit: *uſu & praxi guſtate & ſapite DEI Iuſtitiam, virtutem, & Sanctimoniam.* 2do Dionyſius. Clarius & Vatablus, ejus loci hunc ſenſum eſſe volunt: O Reges curate, ut de DEO, Deiq; Providentia, Majeſtate, Sapientia, cæterisq́, attributis, ita ſentiatis, & ſapiatis, ſicuti revera ipſa ſe habent in Deo. Hinc S. Cyrillus in concilio Epheſino, prædictum verſum ſic exponit: *ſentite de Domino quæ vera ſunt.* 3tio, Cornelius à lapide: *ſentite de Domino in bonitate*, id eſt in probitate, honeſtate, virtute, Sanctitate, quòd ipſe ſit probiſſimus, honeſtiſſimus, Sanctiſſimus, ádeoq; fons omnis juſtitiæ, probitatis, Sanctitatis &c. Idem hæc verba: *In bonitate* legit: *in benignitate, & beneficentia.* Sentire de DEO, quod non ſit Severus & crudelis, ſed benigniſſimus & beneficentiſſimús, dives in omnes. 4to Senſus Symbolicus eſt: ſenſui Intellectûs conſentiat ſenſus Voluntatis, ut ſcilicet rectè Bonitatem DEI mente concipiatis, & voluntate ametis, ac moribus exprimatis, juxta illud Pſal: 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, vel ut legit D. Hieron. Doctrina bona his, qui faciunt eam. 5to S. Bonaventura ſenſum Myſticum hunc affert: ſentit de Domino in bonitate, qui Sácram ſcripturam, quæ DEI eſt verbum piè legit ac intelligit: non redarguendo, ſed approbando & exequendo.

Et in ſimplicitate cordis, quærite illum. S. Hieron, lib. 1. contra Pelag. addit: *In ſapientia & ſimplicitate cordis quærite DEUM.*

Aliqui itaq; imo apud Cornelium à lapide exponunt: Quærite De-

DEUM corde simplici & sincero, non duplici, ficto & simulato. 2do alii cum S. Cypriano lib. 3. testimon. c. 53. sumunt simplicitatem, prout hæc opponitur curiositati, ut sensus sit: nolite curiosé scrutari DEI Majestátem, Providentiam &c: 3tio S. Aug: lib: 1. de serm: Domini in monte, cap. 7. *simplicitatem* accipit pro puritate, ut opponitur mistioni. Unde juxta illum, prædictus textus sic exponitur: Puro corde quærite DEUM. 4to Alii sumunt simplicitatem, pro integritate & perfectione; proinde dicitur vir simplex, id est integer & perfectus. 5to Holcot per *simplicitatem*, intelligit charitatem. 6to tándem á nonnullis *simplicitas* accipitur pro candida liberalitate. Accommodatè itaq; ád allatas PP, expositiones, sensus prædicti textûs est: Principes, non dimidiato, imperfecto ac languido, non arcto & stricto, sed integro, perfecto, largo & liberali corde quærite DEVM, non dividendo scilicet illud in creaturas, sed totum, quantum quantum est, DEO tradendo, quod fit per plenam Charitatem.

RESOLVTIO

OCCVRRENTIVM DIFFICVLTATVM.

TRia hic potissimùm veniunt exponenda: 1mo cur Sapiens sermonis sui initium ducit ab invitatione Principum ad diligendam Iustitiam? 2do explicandum quid simplicitas, ac illi opposita dolositas? 1mo, cùm sæpè a plerisq, prudentia cum dolositate immeritò confundatur, etiam ejus notitia adjungenda. 3tio modus quærendi DEVM, afferendus.

Amor, efficax argumentum ad persvadendum.

QUntùm ad Imum: non incongrua ratio esse potest: ideo Sapientem sui Sermonis sumpsisse initium à dilectione Iustitiæ, ut ostenderet præcipuum & probatum ad quævis consequenda Ducem, esse Amorem. Intendebat Sapiens Principum animis & curæ insinuare Iustitiam, ejusq; obtinendæ proponere media; ergo prius amorem illius ingerit; ut sic feliciús in sua vota omnes trahat. Nullum enim efficacius ad persvadendum, nullum fortius ad inclinandas in partem propositam hominum mentes, esse potest argumentum, quàm illud, quod ab amore pondus & robur accipit. Hinc S. Xaverius Sociis suis inter præcepta commendabat curam, quoad fieri posset, diligi se ab omnibus, addens rationem: *Nulla scilicet re magis animos hominum flecti in omnes partes qùam amore*. Beatus vero Laurentius Iustinianus c. 14. de triumph: Christi agone, dilectionem dicit esse radicem omnium Virtutum, qui ait: *Ubi est Charitas, ibi est bonorum operum fæcunditas, in illa tanquam in radice, virtutes universæ insertæ sunt. Vivunt, prorsus, quamdiu in dilectionis radice subsistunt. Succide radicem, & repentè rami, fructus exsiccantur & folia.* Non immeritò itaq; dilectionis Justitiæ commendationem præmittit Sapiens, sine quâ sicut nec aliæ virtutes, ita & Iustitia in cordibus Principum radicari non poterat.

Addit 2dam rationem Cornelius à lapide: nam sicut Ecclesiastes initio proposuit thema totius libri dicens: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, quod deinde toto libro prosequitur, probat & confirmat; sic Sapiens proponit thema & argumentum totius Sapientiæ suæ; hæc enim non aliud tractat, non alium scopum spectat, quam ut doceat omnes homines, præsertim Principes, diligere justitiam, DEUM cognoscere, amare & revereri, ac simplici corde illum quærere, colere & venerari. In hoc enim consistit vera, cælestis & divina Sapientia.

Quan-

QUantùm ad 2dum. Imprimis: Prudentiam illi omnes habere dicuntur, qui nihil ex improviso & impetu naturæ, sed omnia ex consilio, & propter finem prævisum agunt. Unde Prudentia consistit in actionibus honestis ex regula rectæ rationis ad omnes circumstantias temporis, loci, Personarum, legum, eventuum perspicacis, provenientibus. In quo ipso plures actus interveniunt: Nam Imo apprehenditur per Intellectum finis, in eo postea complacet voluntas, & illius assequendi sequitur intentio, tandem procedit consilium de mediis ad finem conducentibus, electioq; præferens unum præ altero. *Quid prudentia?*

Deinde per simplicitatem non intelligitur hoc loco imperitia: quia hanc non commendaret Christus, prout commendat simplicitatem, dicens: *Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut columbæ.* Idem ergo hic sonat simplicitas, quod sine dolo & fuco. Simplex enim dicitur quasi sine plica, non habens cor duplex, ita ut aliud foris ostendat, aliud mente gerat. Vnde simplicitas debet esse conjuncta cum Prudentiâ, & vicissim; ita enim quisq; debet esse simplex, ut non pateat aliis via eum decipiendi; ita prudens, ut nulli noceat, nullum decipiat. Dolositas tandem & culpanda astutia consistit in abusu prudentiæ, seu potius ingenii ad alios decipiendos. Hinc dolosus malum finem intendit, aliudq; foris ostendit, aliud mente tegit. *Quid simplicitas?* *Quid dolositas?*

QUantùm ad 3tium. Compendiosissima inquirendi & inveniendi DEVM, via est, sedula Christi Domini imitatio, quam & ipse Salvator multis in locis sui Evangelij, & SS. Patres nobis commendant: Nám ut cætera omittam testimonia, cum in ultima, quam habuit Christus cum discipulis suis sermocinatione, dixisset Thomas: *Domine nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire?* Respondit ille: *Ego sum via, veritas & vita,* quasi diceret: non potest esse certior ac securior via ad eum ac quem vado, nisi per me ipsum, meiq; imitationem. Unde S. Leo serm: 16 de Pas: ait: *Dominus ipse factus est nobis via, quia nisi per Christum, non itur ad Chri-* *Modus inveniendi DEUM, imitatio Christi*

Christum; per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per Semitam patientiæ & humilitatis ejus incedit. Magnus verò Hipponensis Præsul Augustinus, ut ad eandem imitationis viam nos excitaret ineundam, induxit Christum suo in sermone super matth, c. 5. unumquemq; nostrûm interrogántem, dicens: *Qua vis ire? ego sum via: quo vis ire? ego sum veritas: Ubi vis permanere? ego sum vita. Ambulare vis? ego sum via: falli non vis? ego sum veritas: mori non vis? ego sum vita.*

Alterum modum quærendi DEUM, proponit S. Hieronymus cum in cap. 55. Isaiæ scribens, ait: *Quærite Dominum, dum inveniri potest, quærite non loco, sed fide & pænitentiâ.* Et certè aptissimus cuivis Christiano homini DEUM investigandi modus, frequens Divinæ fidei exercitium, defectu enim actualis fidei, de præsentia DEI omnia cernentis, ingens per mortalium animos, serpit morum corruptio.

ANNOTATIONES.

Siquidem tres prædicto versu continentur Sententiæ, in singulas earum depromentur variæ annotationes ac reflexiones, incipiendo à 1mo textu dicente: *Diligite Iustitiam qui judicatis terram.* In hoc potissimùm quatuor fontes occurrunt, ex quibus facile deduci possunt morales doctrinæ. 1mus est: cur ad illos tantùm cohortatio incipit, qui judicant terram, & non etiam ad eos, qui judicantur & subsunt? 2dus. Cur Iudicibus ac Præsidibus non alia virtus, sed justitia diligenda commendatur? 3tius cur inter judicandos nulla diversitas & distinctio ponitur, sed omnes eodem nomine terræ exprimuntur? 4tus quare ad illos etiam non fit adhortatio, qui judicaturi sunt & regimen obtenturi, sed solùm ad hos, qui in præsenti judicant, & regunt populum.

ANNOTATIO Ima

DILIGITE IUSTITIAM QUI JUDICATIS TERRAM.

AD illos duntaxat sufficit cohortatio, qui judicant & regunt terram; nec est necesse ut ipsi judicandi aut subditi impellantur ad amorem Iustitiæ: qualis enim fuerit Rex, qualis Gubernator, talis erit & populus. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Efficacissimum nempe exhortandi genus est, boni principum mores. Exhortatione egent Principes ut ament, amplectantur Iustitiam. Exemplum verò Præsidum, omni sermone vocalius, populi ad omne bonum inclinabit animos. Ab exemplari Regum vita, omnium pendet salus. Ab illis debet incipere emendatio, ut cæteri sanentur.

Bonum exemplum Principum. Salus subditorum.

Sicut natura, juxta multorum Philosophiam, primum in Embrione format cor: quia ab eo in cætera membra prorogatur vita. Sicut radicem arboris fovemus, & sæpe rigamus, ut omnes arboris rami, in vigore permaneant; sic Reges, Principes instruendi sunt, ut omnes salubriter Sapiant. Hinc Solon Atheniensis [teste Laertio) Præsides ac Reges Corpori, subditos umbræ comparabat: nempe ad motum corporis, se accommodat umbra; ut enim, inquit, umbræ figuras Corporum, ita subditi homines, majorum mores imitantur.

Illi prius formandi, ut alii informentur.

Rectè S. Fulgentius, epist: 6. ait: *Qui sunt in culmine sæculi constituti, aut plurimos secum perdunt, aut plurimos secū, in viam salutis perducunt.* Non minùs probè Romanus monet Philosophus: *Hæc est subditorum consvetudo, ut Principes suos, tam in bono, quàm in malo imitentur; ideo qui alijs imperant, plurimùm cavere debent, ne eos suo depravent exemplo.* Et Cicero lib. 1. ep. 9. quales in Repub: Principes sunt, tales reliquos solere esse cives.

Isaiæ 51. Hortatus Propheta omnes

Isra-

Israelitas: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & Saram quæ peperit vos.* Cur ita monet & inculcat attentionem ad exempla Antecessorum? ut scilicet ostendat, unius viri Principis ac fæminæ recordationem, sufficientem esse ad hoc, ut populus ille universus imò & totus orbis ad pietatem instruatur. Audiamus D. Greg: Nissen in lib. de vita Moysis disserentem: *Quicunque*, inquit *hujus vitæ fluctibus oppressi à virtute aberrant, exemplo Abrahæ ac Saræ, quasi quodam gubernaculo, ad Divinæ Voluntatis portum revocantur.* Præclarè D. Cyprian: lib de duplici martyrio ait: *Efficacius est vitæ, quàm lingvæ testimoniū; habent & opera suam linguā, habent suam facundiā tacente lingva.*

Exemplo bono reducūtur mali à suis vitiis.

Ioan: 4 Credidit ipse, & domus ejus tota. Non legimus descendisse in Aulam illus Reguli, Apostolos, Concionatores, qui prædicarent illi populo veritatem Evangelicam. Quid ergo tam efficacissimè persuasit veram fidem? Exemplun Reguli. Credidit ipse, inde in totam domum propagata fides, *& domus ejus tota.* S. Thomas in C 4. explicat: scilicet *servi & ministri: quia secundùm conditionem Dominorum, sive bonam sive malam, servi disponuntur.* Cum Rudolpho Imperatori sitienti, in bello Contra Regem Bohemiæ, offerretur à ruricola sciphus aquæ, eum repudiavit dicens: *Habe tibi vasculum: nam ego exercitui, non mihi sitiebam.* Et hoc modo milites ad ferendam patienter sitim incitavit.

Eruditio

Lucæ 22. manifestat Christus Apostolis, quid de illis animarum hostis cogitaret: *Ecce sathan expetivit ut cribraret vos sicut triticum* S. Cyprian: legit: *ut vexaret vos.* S. Ambros: *ut cerneret:* Tertul: *ut discerneret.* Dionys. Carth: ut tentationis suæ impulsu agitaret, conсuteret, & turbaret sicut triticum in cribro. Et addit Christus: *Ego autem rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua.* In quem locum S. Leo *Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tantū specialis à Domino cura Petri suscipitur, & pro fide Petri præcipuè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.*

Dæmon maximè Præsidibus insidiatur.

Mar-

Marci 6. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*, petiit illa saltatrix Puella. Cur non occulos eruendos? cur non linguam præcidendam petit, sed Caput? O puellam non minús astutam, quam malam! Petiit Caput: nam illo deficiente, omnia membra cadunt. Unde D. Bern: *Membrum Caput sequitur, quo laborante omnes corporis partes laborare necesse est.* Et certè velut ad motum rotæ principalis in horologio, reliquæ omnes moventur. Angeli item inferiores illuminantur à superioribus. Cælorum deniq; motus procedunt ad motum primi mobilis, ita componitur Orbis, Regis ad exemplum. Nam teste Claudiano: *Non sic inflectere sensus humanos edicta valent, quàm vita regentûm.*

A capite malum incipit.

Cant: 1. sponsa clamat: *Trahe me post te, curremus in odorem ungventorum tuorum.* Cur dicit curremus, si sola trahenda erat? *Trahe me.* Origenes refert conchas marinas, inter se eligere Reginam, velut apes eligunt Regé, easq; ad motum Reginæ moveri. Si Regina hæret, immobilis, & ipsæ eodem tenentur loco, comitanturq, euntem. Sponsa cælestis velut Regina, plures domicellas in suo comitatu habebat; dicebat itaq; sponso, *trahe me post te*, id est [ut explanat D. Thom: à villa nov: in cap. 1 Cant.) *Non ipsa venire possum per me, sed tu trahe, sequar te, si trahis me.* Quod domesticas meas attinet, ipsæ ad motum meum movebuntur. prout infert Hugo Card: in c. 1, can: *Ne curram ego sola, licet sola trahi petierim, curremus ergo simul & adolescentulæ mecum meo exemplo excitatæ.* Hinc S. Isidorꝰ Pelusiota lib, 2. Ep. 209 *ait: ita naturâ comparatum est, ut ad ejus, qui præest, similitudinem, ii qui parent, se se effingant.*

Ioan: 6. Cum Christus cibare vellet turbam, fragmenta panis deferenda, non aliquibus ex turba committebat, sed Apostolis; cujus rationem inquirens D. Chrysost: ait: *Sed quânam gratiâ, non dedit turbæ ut ferrent, sed discipulis? quoniam hos magis erudiri volebat, qui totius orbis Magistri erant futuri.*

ANNOT-

ANNOTATIO 2da.

DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM.

DOcet Theologia Justitiam esse virtutem ad alios. Reges, Præsides, Iudices non sibi tantùm, sed& aliis viv re debent.

Aliis non sibi Princeps vivere debet.

Principes sunt tanquam luminaria: *Fecit duo luminaria magna, luminare majus ut praeesset diei, & luminare minus, ut praeesset nocti* Gen. 1. non sibi sed alijs lucere debent

Principes debent esse adinstar putei, qui ideo decurrentibus aliunde repletur aquis; ut alii habeant quod hauriant. Fons nisi per campos diffundatur, stagnante corruptus aqua à sua deficiet natura, ita & Præsides suo desunt muneri, si suis duntaxat, non aliorum serviant commodis.

A Simili.

Similes eos oportet esse nubibus, quæ ideo ex humoribus terræ, in sublime elevantur, ut terras deciduis recreent imbribus.

Principes convenit esse tanquam arbores, quæ aliis, non sibi fructificant.

Ab Exeplo.

Adrianus Imperator, obtento Imperio dixit: *sic gesturus sum principatum, ut sciam. rem populi esse, non meam privatam.*

Apocal: 12. Cur Agnus dignus acclamatur accipere honorem, gloriam &c: quia vellus non propter se, sed ad aliorum fovendum calorem, servat: *sic vos non vobis, vellera fertis oves.*

Ioan: 17. Eligit Christus Petrum Præsidem, audiamus cum qua instructione illum instituit, *Pasce,* inquit, *oves meas;* non se pascere, sed oves debuerat, qui Princeps eligebatur. Nec prius pascendas Christus committit oves; antequam intellexerit, quòd illum diligat Petrus. *Simon amas me? Pasce oves meas.* Isidorus in hunc locum: *Nemo debet Pastoris officium accipere, nisi charitate cæteris antecellat.*

Pastor non seipsum sed oves pascere debet.

Et

Et S. Greg: hom 17. in Evang: addit: *Nemo propriè ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.* *Pastor non seipsum sed oves pascere debet.*

Cant 2. Gloriatur sponsus dicens: *Ego flos campi.* quare non cæli sidus? cur ille immortalis decor sectatur in campo flores? aut si flos dici optat, cur non horti vel viridarii, sed campi flos appelletur? Enimverò in eo exultat sponsus, quòd & flos sit & campo sufficiat, non sibi conclusus inter septa, sed aliis patenti campo floreat.

Ioann: 15. *Ego vos elegi ut eatis & fructum afferatis*, non retinere sibi, sed ferre alijs fructum debent, qui electi sunt ad honorem.

ANNOTATIO 3tia.

DILIGITE JUSTITIAM. QUI JUDICATIS TERRAM.

DIligite, inquit, Iustitiam, id est omnium Virtutum collectionem & complexum, juxta quorundam expositionem. Cur unam virtutem commendandam non selegit, sed omnium Virtutum amorem inculcat Sapiens? nempe exprimere volebat, plenam cujusq; potissimùm veró Principum laudem, non in una aliqua virtute consistere, sed omnium possessor virtutum esse debet, qui laudari desiderat. Non meretur commendationem nisi ille, qui totam implevit legem. Vel unius virtutis defectus, universa corrumpit encomia. *Unum vitium totā laudem corrumpit.*

Unam partem si deforme afficiat ulcus, totum corrumpit decorem formosi vultûs. Etiam unica macula auro depictam vestem, à debito dejicit pretio. Nec tota consonat harmonia, si vel unica citharæ frangatur fides. Quid prodest toto ore esse venustum, si nasum absumpsit lues. *A simili.*

Quid profuit Goliath 1. Reg: 17. quod cassis ærea super caput ejus, & loricâ squameâ induebatur, & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æneus tegebat humeros, cum sola fronte nudus, vulneri locum reliquerit.

Quid Dan: 2. juvabat statuam Nabuchodonosoris quod capite aureo attolleretur, pectus præferret argenteum &c: quando pars una fictilis pedum, totius ruinæ fundamentum fecit. Rectè socrates monet: *In vita perinde ut in simulacro, omnes partes pulchras esse oportet.*

Principes nolunt sibi vera dici.

Calisthenes Philosophus Alexandrum modestè commonuit, ne sibi divinos honores, utpote homini mortali reddi exigeret; quem ipse naribus, auribus, labiisq; truncatum, &c. in cavea cum cane inclusum, tandem necari jussit, labem suo nomini æternam vel hoc unico opere inurens. Unde seneca quæst: Natur: lib: 6. c. 23. ait: *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet:* Nam *quoties quis dixerit: Occidit Persarum multa millia; opponetur & Calisthenem. Quoties dictum erit: Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur & Calisthenem. Quoties dictum erit: Omnia vicit, Imperium ex angulo Thraciæ, usq; ad Orientis terminos protulit, dicetur sed Calisthenem occidit. Ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Calisthenis.*

Uno scelere Alexandri omnia præclarè gesta cõtaminãtur:

Psal: 32. *Confitemini Domino in Cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei.* S. Augustinus in hæc verba: *Psalle in psalterio decem chordarum; præcepta enim legis decem sunt, in decem præceptis legis habes psalterium.* S. Hieron: lib: 6. in Isai c. 16. ad nostrum propositum suam affert expositionem, dicens: *Quomodo cithara non emittit vocalem sonum, atq; compositum, si saltem una chorda rupta fuerit; sic si una chorda Virtutum defuerit, non poterit melos dulce resonare.*

Totius legis sit observatio.

Talis debet esse quælibet anima, suo sponso placere studens, qualis laudatur Cant: 4. *Tota pulchra es;* alia vix laudem meretur, si quid ei ad integritatem pulchritudinis defuerit.

ANNO.

ANNOTATIO 4ta.

DILIGITE JUSTITIAM QUI IUDICATIS TERRAM.

PRiùs diligendam proponit justitiam, antequam Iudicum explicet officia. Non placet DEO, ut quis præscribat legem aliis, ipse sine lege vivens. Sapientia maxima est, sibi ipsi priùs providere, ut meliùs alii instruantur. Malè gubernat alios, qui seipsum regere nescit.

Sibi quisque priùs providere debet de virtute.

Rectè Plutarchus: *Non est*, inquit, *cadentis alium erigere.* Quid prodest aquæ, quod aliorum vultum & manus lavet, si ipsa detersas contrahat sordes? Quid emolumenti pictor refert, qui penicillo egregias efformat facies, cum ipse Thersites sit.

Prudenter olim prudentes Virgines: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes.* Matth. 25. In quem sensum eleganter mellifluus Doctor D. Bern: *Nam Charitas, inquit, non modo habet, sed etiam abundat, vult abundare sibi, ut possit omnibus, servat sibi quantum sufficiat, ut nulli deficiat.*

Abundare debet quisque sibi & aliis vult sufficere.

Non sine mysterio David Psal: 41. gloriatur: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* In hunc locum S. Bern: *Eructandi verbo usus est ut ostenderet, quod de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate.* Eam prudentiam imitata est illa de uxoribus Prophetarum mulier, quæ excusans se apud Elisæum, quod sua creditoribus non persolveret, ait: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar.* 4. Reg: 4. S. Bernard. de Nativ: S. Ioan: Bapt: dicit: *Non est mihi, nisi modicum olei, quo ungar, volo illud in vase tutiùs quàm in lampade possidere:* quasi diceret: Volo potiùs ex illo mihi prodesse ad vitam, quam aliis prælucere ad doctrinam. Undè rectè Claudianus canit: *Tunc omnia jure tenebis, cum poteris rex esse tui.*

Cant: 1. Sponsa querulatur: *Posuerunt me custodem in vineis, vi-*

Sibi non desit alio-rum Custos *neam meam non custodivi.* quasi innueret: alienas animas curavi, meam neglexi. Hinc S. Bern: *Ego,* inquit, *loci hujus occasione, me ipsũ reprehendere soleo, quod animarũ susceperim curam, qui meã non sufficerem custodire.*

Ordinatæ Charitatis exemplum proponit nobis D. Paulus 1. ad Cor 9. dicens: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Ita enim omnium saluti invigilabat, ut se quoq; ab omnium salute non excluderet. Sicut D. Bernard. lib. 1. consid: ad Eugen: Papam, eum locum expendens, ait: *si totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, colligat & te, intra se sinus, qui omnes recipit; cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus.* Et lib: 2. *A te incipiat consideratio tua, & in te finiatur, tu primus tibi, tu ultimus.*

Charitas ordinata à se incipiat

Psal: 118. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.* D. Ambr: serm: 22. in hunc Psalmum: *Non potest quis ante eructare hymnum,* nisi *didicerit justitias DEI.*

Satis Christiano Spiritu, licet Ethnicus Philosophus præscribit monita: Ep. 37: *Si vis omnia tibi subjicere, te subjice rationi, multos reges, si ratio te rexerit.* Huc spectat Catonis majoris dictum, quod Plutarchus refert: *Eum demum Optimum, & laude dignum Imperatorem, qui propriis affectibus imperaret.*

Bene reget alios, qui seipsum regere novit.

Præstantissimus quibusdam videri posset Sesostris Regis ægypti triumphus, qui Reges quatuor à se subjugatos, jumentorum in morem, currum suum pertrahere coëgit. Sed omnem pompam inanem is exsuperat, qui quatuor potentissimas passiones subjecit rationi. D. Augustinum audite: in Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, jam Reges, id est jam valentes regere, quidquid in vobis servile aut bestiale.*

Passiones magis domandæ quã hostes

Invictissimus Imperator Carolus v. Neapolim ingressus, super Urbis portas, indomitum sine freno equum depictum contuitus intellexit, libertatis Neapolitanæ symbolum esse & adjecit: *Rectè se habet, faciã*

brevi

brevi, ut frenum habeat. Ita quisq; Princeps deberet primo seipsum frenare, qui populum subjectum sibi habere desiderat.

ANNOTATIO 5ta.

DILIGITE IUSTITIAM QUI JUDICATIS TERRAM.

OMnes judicandi ac subditi uno nomine terræ exprimuntur. Nullo scilicet Personarum respectu, Reges, Iudicesq; moveri debent. Ad tribunal, æquitas & Iustitia, non respectus ac Personarum discretio præsidere debet. Decreta ferre, sententiam concludere, Iustitiæ officium est, non respectuum. *Iustitia absq; respectu.*

Iudices ac Principes MOYSEN imitari deberent, qui ut legitur Exod: 34. faciem suam coruscantem, superinducto velo occultabat, fortassis ostendendæ æquitatis causâ, ne ad hunc potiús, qùam ad illum oculos intendere videretur.

Thebani teste Plutarcho lib: de Iside & Osiride. Item ægyptii, teste Isidoro siculo, de fabulosis antiquorum gestis, depingebant Iudices clausis aut etiam effossis oculis, ut significarent: Iudicibus nec oculos quidem competere, quos ad litigantes reflectendo, unà cum oculis, affectus in eorum partes inclinarent, & qui oculati essent corpore, cæci animo redderentur. Qui enim Personam respicit, in causa caligat. Et ut loquitur D. Ambros: *Ubi errat oculus, ibi errat affectus.* *Iudicis oculi clausi.*

Clemens Romanus lib: 2: constit: & D. Basil: Ep. 39. ad Eustochium referunt apud nonnullas gentes fuisse consvetudinem, ut Iudices nunquam capitalem, ferrent Sententiam, nisi obductâ Cortinâ, aut interjecto velo tegerentur, ut sic nihil respectui concederetur, omnia committerentur Iustitiæ. *Nihil dandum respectui Personarum.*

Apud simandium Iudex pingitur, è collo suspensam habens veritatem, oculosq; in sinum dejectos, cum octo legum libris circumstantibus

quo ſignificatur: Iudices integros eſſe debere, & ſolam inſpicere veritatem ut notavit Pierius Hierogl: 41. c. 4.

Nihil Sanguini.

Canutus Vandalorum Imperator deprehenſos in Merica latrones, cum morti addixiſſet, unus reorum exclamat: ſe eſſe de cognatione Canuti, Sanguinis jure, ſe vitam deposcere. Sed repoſuit juſtiſſimus Rex: *Cognato noſtro, ut honoratior ſit, ſublimiorem parate Crucem.*

Non affectus, ſed juſtitia cauſas examinet.

In Republica Veneta mos inolevit, ut priusquam Senatores Curiæ pedem inferrent, ad Templum S. Marci deſcenderent, privatas ibidem ſimultates ac inimicitias, ſi quas conceperant, depoſituri, ne ſicut amant aut oderunt, judicent.

Alexander cum ab illo Olympia mater, necem innocentis extorquere vellet, idq; per partûs dolores obſecraret; reſpondit: *Aliam mater mercedem pete, hominis ſalus nullo pretio compenſatur.*

Quâ generoſâ mente declaravit, nullos etiam maternos affectus in Judicum ſubſelliis habere locum. Lex & ratio cujusq; cauſam promovere debet, non affectus.

Æquanimitas in Iudice.

Ioan: 5. Iudex noſter ſupremus, normam judicandi præſcribit, dicens: *Ego ſicut audio judico.* Quæ D. Bernard. de grad: humil: ſic exponit: *Non ſicut odi, non ſicut amo, non ſicut timeo, ſed ſicut audio, judico.* Auro notanda eſt ſententia Caroli V. Imperatoris: quemadmodum, inquit ille, ſol in medio Aſtrorum conſiſtens, tam egenis quàm divitibus, æquali modo ac menſurâ diſpenſat; ſic Principum ac Iudicum eſt, ſine ullo Perſonarum reſpectu, ſubditorum cauſas examinare, & æquali Iuſtitiæ lanci appendere. Confirmat Arnobaldus contra Gentes: *Magnarum eſt mentium, pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis exhibere benevolentias.*

Psalm: 45. Propheta deprædicat, quod DEUS: *in medio ejus non comovebitur.* In quem locum acutè, more ſuo D. Auguſt: *Quid eſt ergo DEUS in medio ejus? hoc ſignificat, quod æquus eſt omnibus DEUS, & Perſonas non accipiat, quomodo enim illud, quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines, ita DEUS dicitur æqualiter omnibus conſulens.*

Cur

Cur Matth: 24. dies judicii comparatur cum illo tempore, quod præcedit æstatem: *Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est æstas.* Nempe tempore illo, nulla apparet diversitas inter arbores, in omnibus folia frigore hyemis detracta, viriditas exaruit, nec habet arbor, etiam maximè fructifera quod offerre valeat; proinde in tali forma judicia agitari debent, ut nihil detur respectui, nihil concedatur muneribus, integrum judiciariæ Potestatis munus ad Themidis bilancem referatur. *Forma judicij*

Archiepiscopus Coloniensis anno 1055. cum comperisset Iudices falsam sententiam in causa pauperis fæminæ tulisse, omnibus erui oculos jussit, excepto, qui solus uno oculo privatus, cæteros domum deduceret, in ejusq; memoriam supra domos excæcatorum capita figulina cum effossis oculis collocanda curavit, [ut scribit Dresser: millen: VI. part: 2.) tanto spectaculo docendo omnes Iudices ut totum æquitati, nihil respectui in ferendis sententiis concederent.

ANNOTATIO 6ta.

DILIGITE IUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM.

OMnes uno nomine terræ compellantur, Iudicum ac Regum Subditi: non enumerat Sapiens Urbes, villas, territoria, hominum genus ac titulos, sed omnes sub uno terræ nomine proponit: *Qui judicatis terram.* Nempe efficaciter persvadere voluit justitiæ dilectionem Regibus ac Iudicibus, à terra argumentum sumit: quasi vellet ostendere: Nullum esse efficaciùs medium ad continendos omnes in suo officio, ad persuadendum Iustitiæ amorem, quam terræ, pulveris in quem homo convertetur, memoriam. Optimus disciplinæ ac virtutum magister est, arenæ, pulverisq; in quem resolvemur, recordatio. Remedium sanandis animi morbis, terra suo omnes sinu susceptura. Mors *Mortis memoria medicus animæ*

menti impressa omnium morborum medicus, Sanctitatis custos est.

Similes sunt nostri affectus, ac rebelles passiones, quæ sæpè lædunt conscientiam, & miseram configunt animam, apibus á sua sede effugientibus ac per àëra volitantibus, de quibus Virgil.

Motus animorum, atq; hæc incendia tanta
Pulveris exigui jactu, conspersa quiescunt.

Virtutes in anima velut carbones igniti, supra quos in cinere sepultos legitur: Non periit, tegitur sub pulvere splendor.

Sanctitas animarum comparari potest cum Phænice, de quó symbolista: *Sumit de pulvere vitam.*

Galenus de Sanguisugis tradit, quòd ubi carni nimiùm adhæserint, facillimo negotio amoveri queant, si pulvere aut sale adspergantur.

Holcot in Sap: cap; 2: scribit; & alii probant experientiâ, quòd ubi nidificant corvi, si aliquantum pulveris ex vitro confecti adspergatur nido, nullus unquam pullus ovo excludetur. Vitia sunt tanquam corvi, tanquam Sanguisugæ &c: Nullum ergo efficacius remedium ad ejusmodi animæ mala depellenda, evitandaq; quàm ob oculos exposita mortis imago. Hinc Numa Pompilius in cubiculo suo speculum appenderat, calvis mortuorum circumductum, cum lemmate *Speculum hoc, non fallit.*

Apud Græcos cum crearetur Imperator, inter applausus populi, unus obviam aderat, qui una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus offerebat, in altera verò stuppam lini subtiliter pexam succendebat, ut in altero consideraret quod est; in altero videret, quid futurus esset, ac de imperialis culminis fastigio nullatenus insolesceret. Damian: Opusc: 23. cap. 6.

Zeno Demii Filius, cum oraculum consuluisset, quâ ratione optimam vitam duceret: responsum ei ferunt: *Si mortuis concolor fieret,*

vel

vel si mortuorum consvetudine uteretur.

Quid mulierem sanguinis fluxu laborantem sanavit? *Salva facta est mulier ex illa hora.* Matth. 9. Non illa pars vestis, quæ humeros Christi tegebat, non quæ manum involvebat, sed illa fimbria, quæ terræ propior, sæpiùs pulveri admovebatur: *Accessit retro, & tetigit fimbriã vestimenti ejus; & confestim stetit fluxus sanguinis.* Luc: 8.

Cur piscinæ probaticæ Aqua, nisi turbida sanabat ægros? misceri terra debuit, ut sanitatem morbidi referrent.

Cur Lucæ 18, Publicani laudatur pœnitentia? *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam.* In terram scilicet defixis oculis, invenit, quam quærebat, justificationem: *Nolebat oculos levare in cælum.*

Cur Gen: 3. DEUS hominibus post peccatum fecit tunicas pelliceas Lyranus ait: *In signum suæ mortalitatis.* Signari mortis exuviis debuerant, ut ad saniorem reducerentur mentem.

Psalm: 93. Quærit David & queritur: *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* Vultis nosse quamdiu non solùm in sua malitia perseverabunt, sed etiam exultabunt, ac gloriabuntur cum malè fecerint peccatores? *Donec fodiatur peccatori fovea:* id est donec videant sepulchrum. Rem confirmat D. Petrus Damian: Opusc: 15. cap. 22. *Superbiæ Spiritus inflat? Sepulchrum ad mentem redeat, necessariò illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio, cineremq; pensamus.*

Climacùs narrat de viro religioso, qui segniter traductâ vitâ, aliquamdiu exanimis apparuit circumstantibus. Postea tamen ad se rediens, per annos duodecem, in exigua occlusus cellula, pauxillo panis, & aquæ contentus, inter lacrymas & suspiria recogitabat quæ vidit in raptu. Tandem diu molestiùs exquirentibus fratribus causam tanti rigoris, respondit: *Ignoscite fratres, nemo qui mortis memoriam retinuerit, peccare unquam poterit.* Unde S. Ambrosius concludit: *Mortis meditatio est mors vitiorum, & vita virtutum.*

ANNOTATIO 7ma

DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM

CUr, quæso, illi duntaxat ad justitiæ amorem adhortatione urgentur, qui regunt, ac judicant in præsenti? non aliam ob caussam puto, nisi ut palam sit, quòd multi, qui ante imperium, spem sui maximam faciunt, eam in Imperio fallant. Degenerat quandoq; in vitia honor, & quos invenisse videbatur bonos, improbos persæpè reddit.

Honores mutant mores.

Non de uno dici potest, quòd olim de Galba Imperatore Romano dici consveverat: *Optimus ad imperandum, nisi imperâsset.*

Plurimi, qui ante Imperium, optimas præferebant dotes, omnes penitus in imperio profligârunt. Est enim plerumq; honor quoddam veluti incendium, quo virtutes magno labore comparatæ consumuntur.

Unde eximia illa Vespasiani commendatio, quâ Plinius usus est Nec quidquam, inquit, mutavit in Te fortunæ amplitudo, nisi: ut prodesse tantundem posses, ut velles.

Mirum est, quod de Bucefalo Alexandri equo referunt Authores, Plin: lib. 8. c, 42. Curt: lib, 6. Plutar: & alii. Qùod ejus fuerit animi ut ornatu equestri spoliatus, quemvis sessorem admitteret; excultus vero & suis instructus ornamentis, neminem, præter Alexandrum pateretur. Nempe ex ornatu regio tumorem assumebat.

Hinc rectè Curtius lib: 3, aït de hominibus: *Homines cum se permiscuêre fortunæ, etiam naturam dediscunt.*

Honores pervertunt mores.

Satis justa crisi Innocentius 3tiús ejusmodi honoratos notat, qui morum rectitudinem, cum privata exuerunt vitâ, dicens: *Non curat prodesse, sed gloriatur præesse. Præsumit se meliorem, quia crevit in superiorem. Priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, Comites*

con-

contemnit antiquos, vultum avertit, visum extollit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur.

Urbanus VIII. Papa, volens ostendere, quòd dignitas Pontificia, illius animum non alteraverit, nec mentem immutârit, jussit pingi solem ex nubibus emergentem, qui post nubila videtur esse serenior, aliusq; quàm ante, cùm tamen semper sit idem, cui addidit lemma: *Alius & idem.*

Ezechielis 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Polychronius legit: *in regno tuo.* Ita regii honores, non unius mutârunt mentem & mores. Unde S. Chrysost: in Psalm: 9: monet: *Nemo de potestate sibi magnificè placeat, nec intumescat: locus enim est lubricus & præceps, & eos, qui non attendunt, facillimè subvertit.*

Psalm: 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* S. Bern: Ep. 237. *Honor absorbuit intellectum.* Rectè proinde justos etiam, cautos esse jubet in ascensu honorum, D. Gregor. 3tia par. Pastoralis curæ admonit: 27. dicens: *Plerumq; etiam justos cum temporalis potentia sustollit, veluti in laqueum culpa comprehendit. David DEO priùs amabilis, rectior fuit in servitiò, quàm, cùm pervenit ad Regnum.* *Vitia honoratis adjunguntur.*

Psalm: 72. *Dejecisti eos, dum allevarentur.* In quem locum D. Greg: lib. 1. Regist: ep. 5. *Elevatio ipsa, ruina est: quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloria verâ evacuantur.*

Judicum 9. Arbores excusant Regnum: Oliva quidem noluit regnare, ne perderet sui olei pinguedinem. Ficus ne desereret suorum fructuum suavitatem. Vitis, ne amitteret sui vini jucunditatem. Omnes scilicet quodammodo præsenserunt, quod non possent suorum fructuum ubertatem in fastigio dignitatis conservare. Immutari timebant, si regnare cogerentur. *Mutat honor.*

Psalm: 26. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* D. Greg: hîc: *Fumus ascendendo deficit, & se se dilatando evanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam, præsens felicitas comitatur, quia unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit.*

ANNOTATIO 8va.

DILIGITE JUSTITIAM QUI JUDICATIS TERRAM.

Quisq; nomini suo respondere debet.

QUid est? quod tantopere Sapiens commendet Iudicibus amorem Iustitiæ. Nempe voluit, ne vana Iudicum præferrent nomina, suoq; non deessent officio. Iudicum opus est, cura ac dilectio Iustitiæ, quid prodest, nomine Iudicis celebrari, & quæ Iudicis sunt non implere? vana nomina sinè rebus.

Pulchram hujus, S. Greg: Nyss. Ep: de Profes. Christ: similitudinem affert, dicens: eum, qui operibus non respondet nomini, similem esse medico, qui medicum profitetur, & medicinam ignorat.

Genes. 1. Formatis Dominus DEUS de humo cunctis animantibus terræ, *adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Non frustra prævisio & consideratio ante impositionem nominum præmittitur: Illa scilicet vocabula tribui animantibus debebant, quæ rem ipsam exprimerent: ut Rupertus Abb: lib: 2. c. 24. advertit: *singulorum consideravit naturas, & ex qualitatibus diversis, diversa formavit vocabula.* Hinc rectè D. August: lib: de Genesi ad literam. *Nomen appellatur, quasi notamen, quod rem notet.*

Cassiodor: lib: 8. Ep: 20 dicit: *Nimis absurdum est, portare nomen alterum, & aliud dici, quàm debeat in moribus inveniri.*

Apocal: 3. Dominus plenas minis literas expediri jubet ad Episcopum Sardis: *Angelo Ecclesiæ sardis scribe &c:* Cur tam minaces literæ expediuntur? audite: *Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* Unde Ethnicus licèt, vates monet: *Mensuram nominis imple.*

Et ex hoc maximè ab alio vatum, commendatur Probus, quod vir

esset sui nominis. Alterius verò genii homines notat Iuvenalis, dicens: *Insignes multi præclaro nomine tantùm:*
Eleganter in hanc rem D. Bernard. lib: 2. de consid: *Monstrosa res, gradus summus, & animus imus. Sedes prima, vita infima; anni multi & actus stulti. Facies rugosa, & lingva nugosa; caput canum, & cor vanum. Sermo multus, & fructus nullus; lingva magniloqua, & manus otiosa.* Inde profluxit illud dicterium: *Si re priveris, nec nomen habere mereris.*

Proinde etiam Alexander Magnus expediens Ducem suum ad prælium, ejusdem secum nominis, ejusmodi monitum adjecit ei: (ut refert Plutarch] *Res dignas Nomine tuo, dignas Alexandro gere.* Alteri verò suorum militum ignavo, nomine Alexandro dixit: *Aut nomen muta, aut mores, animumq; Alexandri indue.*

Lucæ 16. Pauperis nomen exprimittur, divitis tacetur. *Erat quidam mendicus, nomine Lazarus. Homo quidam erat dives.* S. Chrysost: *Lazarus pauper, quoniam Sanctus erat, nominatur. Iste verò dives & superbus, nec nomine quidem dignus est habitus.* juxta Psalm: 68. *Nomen ejus non memoretur, deleatur de libro viventium, & cum justis non scribatur*

Iniquus nomine indignus.

Matth. 7. Magister universorum Christus dignam consideratione reliquit præcautionem: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Didiceruntq; propriâ experientiâ hanc veritatem fatuæ Virgines, Matth. 25, quibus dictum: *Nescio vos.* S. Hilarius rationem assignat: *Regnum cælorum sola verborum officia non obtinent.*

Cælum merita obtinent non nomina.

Sapientiæ 4. Cur DEUS comparatur speculo? *Speculum sine macula.* Paulinus respondet: *Speculum repræsentat motum, non sonum, non auditum. Non auditores sed factores legis justificabuntur.* Doctor Gentium ad Rom. 2, denuntiat.

Nomina sinè rebus, similia sunt pomis Gomorreis, de quibus Radivilius, quòd oculis pulchra appareant, ut acuant famem, manumq; provocent ad sui complexum; abrepta tamen á suis ramis, nihil præter cinerẽ relinquunt in manu. Similia sepulchris dealbatis &c.

Eximiè Salvianus lib. 4, de Provid: differit, quòd virtus magni Nominis perdatur vitio pravitatis, dicens: *Qui Christiani Nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen enim sinè actu, atq; officio suo, nihil est. Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?*

ANNOTATIONES.

IN textum, qui sequitur: *Sentite de Domino in bonitate.* Possunt verò peti annotationes ex his fontibus. Imo. Cur Sapiens, non loqui, non scribere, sed solùm sentire suadeat de Domino in bonitate? 2do Cur sensum suum promulgare non hortatur, sed solùm interni sensûs requirit bonitatem &c:

ANNOTATIO Ima.

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE

Ab animo Ordinato omnis perfectio.

NOn loqui, non scribere, sed sentire in bonitate de Domino suadet Sapiens: non dubitabat scilicet, facilè bona ab ore prodiтura verba, si integer sceleris[q]; purus servetur animus. Radix nempe & fons omnis boni, rectè ordinata mens. Ab animo & bona voluntate universa pendet perfectio.

Sicut in fidibus cùm aliquid aut interceptum, aut relaxatum est, omnis canendi & consonantiæ ratio turbatur, ac solvitur; ita vitiato animo destrui omnia necessum est.

Quemadmodum solis jubar, totum àërem sui præsentiâ facit pellucidum, omni-

omniaq́, lumine complet, sic rectè dispositus animus cunctis operibus claritatem affert.

Congruè horologii index distinguit diei horas, si intus rotarum cursus non aberret; ita á rectè disposito animo, tota exteriorum actionum pendet ordinatio. *Ab internis externa procedunt.*

Referunt annales Prædicat: 1ma Part: lib: *3.* c. *37.* quòd cùm D. Thomæ Sanctitas ubiq́, celebraretur, Soror ejus germana, hac famâ perceptâ, & Sanctiore desiderio accensa, Fratrem Magistrum convenit, ut ab eo, in via Salutis instrueretur. Hanc igitur quæstionem movit: quânam arte ad Sanctitatem pervenire posset? Cui respondens, totam salutaris scientiæ summam hoc diverbio complexus est: *si vis.* Ubi declaravit omnem Virtutis, ac perfectionis structuram, á bona voluntate dependere. *A bona voluntate Perfectio.*

Alexander à Græcis per literas petiit, ut suo decreto, ipsum decernerent DEUM, cùm alij aliter statuerent, Lacedæmonii decretum ejusmodi tulerunt: *Quoniam Alexander DEUS esse vult; sit.* O utinam eo nostra tendant vota, ubi nos simillimos ipsi reddant DEO, juxta illud D. Augustini: *Terram diligis? terra es, DEUM diligis? quid dicam? DEUS eris.*

Matth: 19: Venit Adolescens ad Christum, inquirens salutis consequendæ media: *Magister bone, quid boni faciam? ut habeam vitam æternam?* Cumq́, Christo observationem mandatorum præcipienti respondisset, quòd illa custodierit à juventute, adjecit Christus. *Si vis perfectus esse, vade & vende, quæ habes.* A voluntate illius, omnia Sanctioris vitæ consilia orditur: *si vis*, non aliter ad perfectionis culmen perventuros indicans homines, nisi per rectum propriæ voluntatis usum. Hinc D. Chrysost. hom: 24. in Ep. ad hebr. ait: *Sufficit velle & confecta sunt omnia, Si ipse velis? salvaberis. Si velis? proficies. Si vis perfectus esse? eris.*

Quod perspicuè Satis, gentilis licet Philosophus Seneca penetrans,

ejusmodi quæstionem movet: *Quid tibi opus est, ut sis bonus?* & unico eam solvit verbo: *velle.*

Ab incunabulis adhuc eam nos edocuit veritatem per Angelos Magister noster Christus, dum edixit: *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Optimâ in hanc rem D. Chrisost: hom: 25. Operis imperfecti, similitudine utitur. dicens: *Sicut ex floribus poma formantur, ita ex bonis voluntatibus opera perfecta nascuntur. Et sicut ante pomum flos præcedit, ita ante opus bonum, bona voluntas.*

Huc spectat quòd Arnobius in Psalm: 146. notavit: *Si arbitriũ in te, non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecum Pax DEI.* Et S. August: lib: 1. de lib: arbitr. c. 18. *Vides igitur in nostra voluntate positũ esse, ut hoc fruamur tanto & tam vero bono, quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas est.*

Michoviensis, scriptor illustris S. Dominici, refert ex Fulgoso; In Pannonia juxta Sirmium Urbem, repertam Vitem, cujus Pampini ex auro purissimo; ejus rei causâ cùm investigarent curiosi, vitẽ illam in vena auri radicatam repererunt. Aureos fructus spectare licet, ubi radix ab aurea surgit vena. Juxta illud ad Rom: 1. *si radix sancta & rami.*

Clemens Alexandr: lib. 5. Strom: c. 5. scribit, quòd Socrates orare consveverit. *O Pan & a ii dii, date mihi, ut intus sim pulcher & honestus,* quasi innuere vellet: ab interioribus animæ ornamentis, totam in hominum mores derivari pulchritudinem. Neq; enim aliunde Christi sponsa suas trahit laudes, quàm ab animo rectè ordinato, accinente coronato vate: Psal. 44. *Gloria filiæ ejus ab intus.*

Optimé id ipsum declaravit Ecclesiastes, ubi fundamentum timoris DEI præparationem cordis humani esse voluit, dicens: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in Conspectu illius Sanctificabunt animas suas Eccl: 2.*

ANNO-

ANNOTATIO 2da.

SENTITE de DOMINO in BONITATE

MInùs, inquit, est bona loqui, exteriorem vultum ad omnem cõponere modestiam, minùs; nisi priùs bono mens abundet sensu. Ni hil lingva suavi proficit verbo, si suo lateat sub pectore virus. Quin imò facilè exerrabit litera, & á rectò deviabunt sermones, si in animo suum virtus non firmaverit domicilium. Quisquis exteriores sensus ad legem virtutis revocare conatur, animus imprimis curandus est. Non bene curatur malum quodpiam, nisi radici ejus adhibeatur remedium. A radice incipere curatio debet & bonitas.

Remedium mali à radice incipiendum.

Quid prodest ad ruinam inclinatas ædes exterioribus adornare coloribus? & hiantes dealbare rimas? si á fundamentis non inceperit reparatio? Minùs proficit, qui succrescentes spinas repetitis succidit ictibus, nec radicitùs evellit. Fluentem exsiccare alveum frustra quis contendit, si fons scaturiat.

Cur quæso Dan: 2. Statua Nabuchodonosoris in favillam redacta? quia non nisi Capitis, pectoris, aliorumq; membrorum curam habuit, & pedes, quibus tanquam fundamento nitebatur, neglexit.

Peccatum causa morbi.

Math: 9. Devoti homines obtulerunt Supremo Medico Paraliticum, videns fidem illorum dixit Paralitico: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Strabo in hunc locum: *Ecce modus curationis, priùs dimittit peccata, tollens causam morbi, post curat corpus.*

Isaias corrupto illi populo prædicans dixit: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Isa: 1. Dignum adversione, quòd Propheta, non operum, non verborum, sed cogitationum imprimis munditiem curandam imperat: *Auferte malum cogitationum vestrarum.* Certum est, quòd Propheta, omnis sceleris puros eos esse voluerit. Cur itaq; solas cogitationes in memoriam revocabat? Ut totam scilicet mali

radicem evelleret. Cogitationes, peccatorum radix est; hanc si amputes & evellas, simul verbis & operibus remedium adtulisti. Ita S. Ephrem de lingvæ malo ait: *Operis instar est cogitatio, quippe, in qua, tanquam in causa omnium effectivâ, arbitrii nostri ratio nititur.* Huic ergo occurrendum, ut cætera in bono statu constituantur. Idem sentit Eusebius Emissen: dicens: *Bonus medicus ad morbi venam, & radicem spectat, quam postquam amputaverit, cætera ad sanandum faciliùs ducit.*

A cogitatione malum incipit.

Lucæ 18 *Duo homines ascendebant in templum, ut orarent.* Ex his Publicanus á longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: *DEUS propitius esto mihi peccatori* S. Cæsarius examinans has Publicani pænitentis cerimonias, quærit: Cur Publicanus, palam de se ipso loquens, omnia membra in reatu significare voluit: *propitius esto mihi peccatori*, & tamen à solo pectore pænam sumpsit, quod solum percussit? & respondet: *Pectus tundebat & peccata intùs inclusa, quasi Judex Severissimus verberabat, Nempe de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria* &c: ut à radice omne malum tolleret.

Exodi 32. Moyses ut adorati vituli idololatriam in populo castigaret, arripiens vitulum, quem fecerant, combussit & contrivit usq; ad pulverem, quem misit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel; ea verò actione finitâ, doli cultores ferro obtruncavit. In quem locum Oleaster: *Adverte, inquit, prudentiam Moysi, priùs in peccatum, quàm in peccatores sæviit, ut peccati radicem priùs extirparet.* Addit S. Nilus lib: 8: de vitiis: cogit: *Quocirca Nobis faciendum est, ut malorum radicem evellamus, hac enim manente, rami quoq; pullulabunt.*

Peccati radix evellenda.

Psalm 37. Conqueritur vates Coronatus: *Corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Accidit plerumq; aliquos neque honoribus, neq; famâ crescere, quia domi putrescunt, & quare? *à facie insipientiæ.* Non habent tantam ingenii ac eloquii culturam, cum qua in publicum prodire valeant. Multos item Iuvenes corrumpi non sine dolore advertimus, si causa investigetur? ab incauta lingua, à facie insipientiæ,

tiæ tota prodiit corruptio. Cæterùm Psaltes in illorum hic Personâ videtur querulari, corruptasq́, cicatrices dolere; qui suorum vulnerum curam, exteriùs tantùm, & non à radice incipiunt. Palam fortassis omnibus facere voluerat, nihil esse periculosiùs, quàm sicut morborum Corporis, ita & animæ vulnerum insipiens medicus. Mortem enim, non vitam, majorem corruptionem, non vulneris curationem parat, qui exteriore cicatricis obductione contentus, integrum ad intra serpens relinquit malum.

Democritus advertens oculos suos licentiosiores evagari, nec ad se redire illos, sine fædis cogitationibus deprehendens, oculis se ipsum privavit, ut omnem malorum radicem præcideret, dicens: *Malle se esse cæcum, quàm impudicum.*

ANNOTATIO 3ria

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE

CUr potiùs non monet Sapiens, ut suum sensum quisq́, proferat in publicum; sed solùm ut interni sensûs bonitas conservetur, svadet. *Sentite de Domino in bõitate.* Noverat nempè, nihil ita tectum esse, sub profundo quamvis pectore, quod aliquando non emergat in publicum. Non sunt publicandi interni sensus, sive boni sive mali, facilè se se, ipsi prodent, & quæ occulta esse putantur, in aperto lucent. *Nihil diu latet.*

Bonæ intentiones nostræ aut malæ, sunt adinstar olei, quod quantumcunq; demergatur in profundo, omni supernatat liquori.

Sùnt adinstar morbi, viscera rodentis, quem ipse pulsus prodit. Hinc Pòëta: *Sæpe tacens vocem, verbaq; vultus habet.* *Occulta emergunt in apertũ.*

Virtutes Stellarum morem imitantur, quæ eò pulchriùs scintillant, & in omnium influunt oculos, quò in profundiorem sol descenderit no-

Matth: 13, Cum dormirent homines, venit inimicus homo, & in medio tritici superseminavit zizania. Hæc est inimici hominis proprietas, dum alii quiescunt, quando dormiunt, ipse bonis mala miscet. Nec in parte tantùm, bonum depravat semen, sed in medio, & quidem electi tritici, sua superseminat zizania. Cur verò de nocte id facit? Nempe: *qui male agit, odit lucem.* Noctis umbras quæsivit, ut tutiùs latere posset; latere tamen non potuit, quem non succrescentibns adhuc zizaniis, deprehenderunt servi, ac Domino suo anuntiaverunt inimicum. *Imus*, inquiunt, *colligimus*; quasi dicerent: Non est necesse ut quis ostendat nobis, secernat ac seligat superseminata tritico zizania, facilè colligemus malum semen. Dominus tamen respondit: *Sinite ea crescere*, quasi innueret; parcite labori, quem intenditis, in seligendis zizaniis, expectate ulteriora eorum incrementa, & ipsa se proprio flore prodent. Erumpet in folia, quæ nunc latere videtur nequitia. Unde S. Ambr: in Apolog: David: *Væ mihi, quia latere cupio, & latere non possum; quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo, gero meorum judicia peccatorum.*

Index animi vultus

Genes: 27. Esau dixit in corde suo, occidam Iacob, mox additur: *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.* A quo nuntiata? si dixit in corde? nemini innotuisse poterat cogitatio. Ipsa nimirum in apertum prodiit, ex ipsa legi fronte poterat, ex ipso colligi vultu. Sensus enim animi nostri quò cautiùs teguntur, eò celeriꝰ se produnt. Meritò Pöeta: *Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu.*

Psalm: 138. Mirum est, quod Propheta enuntiat: *Nox illuminatio mea.* Utiq́, Noctium umbræ, omnia abscondunt, omnium rerum splendorem sepeliunt, quomodo ergo Davidem illuminabant tenebræ? Mysterium est, tunc maximè dicit se versari in lumine, cum se cernit in tenebris. Habent nimirum etiam noctes suam lucem, quâ occultissima quæq́, prodantur.

Apocal: 4. *In conspectu sedis tanquàm mare vitreum simile crystallo.* Secundùm Interpretes: per mare crystallinum Significatur pænitentia pecca-

peccatorum, poteftq́, reliquis etiam virtutibus eâ comparatio deservire. Vitrum nempe cryftalinum diaphanum eft, ita ut & fe, & alia omnia confpicienda proponat. Quæ vitro obducuntur, expofita funt cunctorum afpectibus. Poteft quidem res cryftallo contineri, occultari non poteft.

Tegi malū nequit.

Ioan: 8. Mulier deprehenfa in adulterio, adducta eft ad Chriftum. Ipfe autem *Scribebat in terra digito.* Cur non in marmore? non in columnis? non in facie templi? fed in terra. Ultra dubium innuere voluit: non debere decantari ac publicari peccata; nam etiamfi in terra fepeliantur, ipfa fe prodent, in publicum ex vifceribus etiam terræ emergent. Et certè illa mulier in angulo ab hominum oculis remoto peccavit, & tamen toti terræ, adulterii crimen innotuit. *Scribebat interra.*

Plurima in hujus rei confirmationem congeruntur exempla ab Authoribus: Nam refert Plutarchus de fera Numinis vindicta. Et Drexel: in Iofepho c. 15. 81. quòd grues cafu prætervolantes, Ibici Pòëtæ interfectores, forte Corinthi in foro otiosè fedentes, in fufpicionem cædis, & fupplicium capitis adduxerunt.

Item Engelgr: in luce Evangel: tom: 2. Dominica 4 poft Epiph: narrat: quòd Beffus parricida, cùm hirundinum nidum perticâ dejiceret, & caufam ejus rei diceret: mentiri nequam aves, à fe Patrem occifum, eo ipfo criminis fufpectum fe, & capitis reum fecit.

Produntur fcelera variis modis

Surius 8. Iulii fcribit, quòd fur nullo tefte præfente, cùm S. Medardo Noviodunenfi Epifcopo abftuliffet opimum bovem, eumq́ ut tacitus duceret, nolam de animalis collo pendentem, feno infarfit, ne proderetur. fed vix cum bove domum ingreffus fuerat, inportunè exaudiri cæpit tintinnabulum, & quamvis illud recónderet, aut in cifta recluderet, impedire non potuit, quin vocaliore tinniret sono, confcientiamq́, tamdiu perftringeret, donec facti ductus pœnitudine, petitâ, cū lacrymis veniâ, & Sancto Viro bovem, & fibi pacem animi reftituit. Ex quibus palam deducitur: *Nihil effe tam opertum, quod non reveletur.* Matth: 10.

Psalm: 1 Enumerantur Virtutes Iusti hominis: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* &c: *In lege Domini Voluntas ejus &c:* quid itaq, de illo disposuit DEUS? en additur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum.* Omnis motus arboris repræsentatur in aquis, ad aquas consistens, quid agat? depingunt aquæ, & omnia clarâ referunt in imagine. Ita Virtutes Sanctorum, quàmvis tegantur, apparebunt tandem, & suo tempore cuiq, innotescent.

Sanctorũ virtus velut arbor ad aquas

Carolus V. advertens, quòd unus de aulicis suis rotatum horologiũ sustulerit, nihil illi de furto innuens, aliquantulum in conclavi suo, cũ alloquio detinuit, quamdiu alia in palatio disposita horologia non sonarent, quo tempore ipsum etiam se se prodidit furtum.

Lisandro quidam dixerat. *Laudo te & defendo ubiq.* Cui mox Lisander reposuit. *Duos,* inquit, *ruri boves habeo, quibus tacentibus, satis ipse novi, uter illorum sit piger, uter laboris amans.* Ejusmodi responso docens: non esse necesse, ut quis suam venditet virtutem, aut internos explicet affectus; ipsa se se loquitur virtus, & quod latet in animo, quàmvis tacente lingua, prodit ad extra.

Habent suã linguam opera.

Historia Patriarcharum in hist: Lot. refert; cum fama ad Vespasianum pervenisset mirabilem esse maris mortui naturam, quod in eo nihil mergi possit. Vespasianus, hoc ipsum experiri volens, nonnullos maleficos, manibus post terga revinctis, injici imperavit, illiusq, maris committi fluctui in profundum demergendos. Cæterùm supernatabant omnes, nec ulla vi deprimi poterant. Ita sunt in hac mortali vita, hominum opera sive mala sive bona, quæ semper in lucem emergunt. Hinc Matth; 15. dicitur: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c:* Non debent scilicet extrahi ab intimis animi, nec requiritur ut latens cor aperiatur; ipsæ cogitationes, ipsa intra pectus genita scelera ultro prodibunt.

ANNO.

ANNOTATIO 4ta.

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE

Cur tam urgenter interioris duntaxat sensûs bonitatem requirit Sapiens? fortassis ut declaret nón placere DEO virtutem ac bonitatem clamosam, & loquacem. Sola nempe grata DEO, tacita virtus.

Virtus debet esse elinguis

Vir intelligens, virtutiq, deditus ingeniosam & solertem debet imitari apiculam, quæ defert in alvearium internè mellificum, quos extra collegerit flosculos, ubi favum operosiùs conficit, nec labores suos in oculis hominum ponit.

Virtutem thesauro in agro abscondito similem esse oportet, ut pretium habeat. Unde rectè D. Greg: hom. 11 in Evang: monet: *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicé portat in via.* Abscondi debet ut integer maneat.

Quid est, qùod DEUS tot alia ad Sacrificium destinando animalia, noluerit sibi offerri gallum gallinaceum, cùm tamen videatur animal liberale ac misericors; quidquid enim invenerit, alios convocat, ut inter eos dividat inventa. Novit item cælestes cursus, præsentit mutationes àëris, excitat de nocte ad laudem DEI, factus deniq, est signum pœnitentiæ: Cur itaq, à sacrificio excluditur? Nempè bona quidem alijs communicat, sed intensiùs clamat, Cuiq, notum esse debet, si quid boni operatur. Proinde tanquam ineptus à sacrificio Divino rejicitur. Agniculus verò ad oblationem destinatur, qui obmutuit coram se tondente.

Christus soluturus censum seu gabellam, non ad Martham, non ad Pharisæos, qui ad tubæ clangorem eleemosynas distribuebant, sed ad pisce mutum expedivit. Nempe gratissimum illud DEO munus, quod sub taciturnitate offertur.

I. Reg: 17. David prostratâ, illâ carneâ turri Goliath, lapillo ex fun-

funda misso, extractoq́, ejus gladio, ubi caput illius amputaverit, triumphans ad Israelitas redit, non suis viribus, sed DEO soli victoriam adscribens, Templum ingreditur, gratias DEO relaturus. Mirum est, quòd in testimonium gratitudinis, non lapidem sed gladium, pio cultu reliquit in anathema. Lapide prostravit Goliath, lapide tanquam glorioso victoriæ instrumento usus, non lapidem tamen, sed ensem, in templo appendendum censuit. Noverat nempe Davîd non tam fore DEO gratum & acceptum lapidem, prout Goliath ensem, quia cum è funda per àërem jactaretur, strepitus auditus est, & antequam aggrederetur Gigantem, antequam superaret & attereret contumacem, iteratos per àëra dispensabat sibilos, quibus ceu totidem vivis vocibus, cælo, terræq́, heroicum prædicabat factum. Gladius verò in vagina delituit, donec stringeretur, & collum nullo præcedente strepitu, divisit à capite, nec in publica luce diutiùs moratus, iterum vaginâ reconditus spectari renuit. Audiamus quid in hanc sententiam proferat D. Chrisost: *Lapidem David è fistula rapit, fundæ opponit, & contorto vertice in Goliath excussit, qui lapis per inane volans, verberat aurem, àërem scindit, & violento impetu Goliæ frontem invadit.* Proinde ineptus censebatur lapis ille ut Numini offerretur in templo, qui tanto strepitu perfecit victoriam. Rectè Martialis lib: 5. Epigr. 51. *Crede mihi, quamvis ingentia Posthume dones. Auctoris pereunt garrulitate sui.*

Meritum loquacitate perit.

ANNOTATIO 5ta.

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE

Taciturnitas Magistra rerum

BOnum sensum, non sermones ac verba commendat Sapiens: Plus nempe sub taciturnitate boni sensûs contineri non ignoravit, quàm inter multa colloquia. Etiam indoctus plus sapit, dum tacet. Efficacissimum remedium est, bonos sensus conquirendi, taciturnitas, ac longa meditatione plenum silentium.

Gra-

Gratissima etiam odoramenta suavi privantur odore, si in aperto maneant. Civitas quamvis munitissima in imbellium etiam manus facilè deveniet, si nullis claudatur portis.

Evagrius loquaces amygdalo confert, quæ omnium fere arborum prima floret, sed hæc celeritas nebulis ac pruinis miserè plectitur, ut flos nullum relinquat fructum.

Gregorius Nazian: Celensio arguenti se de silentio, respondit: Hirundines olim cavillabantur Cygnos, quòd in stagnis sibi tantùm viverent, se autem jactabant in Urbibus inter homines versari. Sed repositum sibi audiêre: O vos misellæ! quàm vana gloria vestra est: Nos quidem non multum, nec sæpe, sed svave canimus, homines deserunt urbes, ut nos audiant, vos omnibus ingratæ estis. Hinc Pytagoras monuit: *Hirundines ne tectò excipe.* *Loquacitas ingrata.*

Soloni quidam objecit, quòd taceret in convivio, cui ille reposuit: *stultorum nullus tacere potest.* Et rectè, nam & Ecclesiastici 10. dicitur: *Stultus verba multiplicat.* In quem locum D. Hieron: *Stultus cum neque præteritorũ meminerit, neque futura cognoscat, falsã sibi scientiã promittens, in eo doctum se putat, & Sapientem, si verba multiplicet:* quasi Sanctus Doctor vellet concludere: Veram Sapientiam non inter multos versari sermones, sed intra silentii terminos foveri. Unde interrogatus Apollonius: quinam essent optimi hominum? respondit: *qui dicendo brevissimi.*

Matth: 18. Cum facta esset inter discipulos Christi, contentio: *quis eorum videretur esse major?* Mirum est quòd ad ejusmodi quæstionem resolvendam, non advocat Christus conspicuos eloquio homines, non invitat magni consilii viros, non assumit de Israel eruditissimos Doctores, sed infantem pene, ac elingvem puerulum in medium circuli Magistrorum orbis adducit, propositæ difficultatis resolutorem: *Statuit parvulum in medio eorum,* vel hoc ipso declarans, quòd ille solus primatum in Schola Salvatoris mereatur, ille ad cælestem destinetur Sapientiam qui plus exacto tribuens silentio, quàm productis discursibus, infantiam *Optimus Magister silentium.*

longa meditatione elingvis pueruli imitatur. *Nisi efficiamini sicut iste parvulus non intrabitis in Regnum cælorum.*

Ad Pambonem Ægyptium Eremitam venit Vir eruditus, Sacras illi explicaturus literas, duxit initium à Psalmo 38. *Dixi, custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea.* Cumq; hunc versum explanâsset; Satis jam esse contendit Pambo, cum hoc calluero, plus discam. Post longum tempus venit idem Prælector quærens cur novam non posceret prælectionem? cui ille: *Primam non dum didici.* Marulus lib: 4. c. 6. Minùs quippe prodest quævis eruditio ac scientia, quæ non processit à silentii Magisterio.

Iam non miror quòd idem Eremita ut refert Palladius, lib: 8. c. 10. septuaginta annorum senex moriturus dixerit: *In hanc horam, non pænitet me ullius sermonis, & sic ad DEUM abeo.*

Ezech. 10. Dignam admiratione rem narrat Propheta, quòd scilicet de quatuor animalibus, quæ Cap. 1. descripsit sub similitudine Aquilæ, Leonis, bovis & hominis, unum mutaverit suam speciem, jamq; non bos, sed Cherub apparuerit: *Facies una facies Cherub, & facies 2da, facies hõinis, & in 3tio facies leonis, & in 4to facies Aquilæ.* Mirandum planè, quòd nõ aliud animal, sed bos ad Cherubini dignitatẽ sit evectus, ad ipsã Sapiẽtiæ plenitudinem pervenerit. Cherub enim ut D. Gregorius notat: *plenitudinẽ Sapientiæ importat.* Non hominem, non leonem, non aquilam, sed bovem ad Magisterium Sapientiæ promotum audimus. Nam Cherub *quasi magister sapientiæ,* ut Benedictus Parisiensis exponit. Non caret mysterio res. Cujus causas si indagare licet, illam innuere sufficiat; Nimirum non omnes ad consequendam Sapientiæ plenitudinem aptos inveniri. Ille duntaxat plenè sapiet, non qui tanquam leo circuit quærens distractionum occasiones; non qui velut aquila semper toto obtutu publicam solis prospicit lucem; non qui inter humanitatis officia integros trahit dies, sed qui tanquam laboriosus bos suo, tacitus detinetur jugo. Nunquid ignotum nobis quæ compellationum cudebant vocabula

Quis sapientiam cõsequitur?

Angeli-

Angelico Doctori D: Thomæ sui Compalæstritæ, quem mutum bovem dictitabant; & tamen expendamus, quantus in universo orbe audiat Doctor, *facies una facies Cherub.* Ut palam sit nullum efficacius medium esse ad optimos animi conquirendos sensus, Sapientiæq; plenitudinem consequendam, quàm doctum silentii Magisterium.

Hinc rectè decrevit Æneas Sylvius: *quòd sapientiùs sit agere, quàm fari.* Socrates verò tria suis discipulis maxime commendabat: In animo prudentiam; in vultu verecundiam; in lingva silentium.

Lucæ I. Vix Nativitatem D. Ioannis Baptistæ prænuntiavit Archangelus, statim Pater ejus Zacharias obmutuit, postea infans natus, vix in mundum prodiit, omnibus relictis in solitudinem se recepit; ibidemq; contemplationi, & longo silentio annos triginta consecravit. Quis hæc expendens non succensuisset Ioanni, quòd sibi tantùm, non aliorum commodis vivere videretur. Interim tamen nemo zelosiùs, efficaciùs nemo, pro DEO & virtute locutùs. *Vox clamantis in deserto.* Unde D. Chrisologus serm, 92. tom: 3. admirabundus toti prædicat orbi: *Quanto silentio vox nascitur, quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur.* *Silentio vox mundo nascitur.*

Pelagius scribit quòd Agathon Abbas legens versum illum Salomonis: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Prov: 13. trienniò silicem ore circumtulit, vt vel hac ratione taciturnitatem discere cogeretur, ab illâ optimos sensus provenire non ignorans.

Opponet fortassis quispiam quòd Spiritum Sanctum, Apostolorum Acta, in linguis dispertitis descendisse in Apostolos perhibeant, ut vel sic ab Apostolico munere taciturnitas excludi videatur. Sed advertat ille, quis quis opponit, non in ore collocatas, sed super capita singulorum resedisse linguas, ut non à sensûs inclinatione, sed à rectæ rationis gubernio, eas in suo motu dependere discat.

Appositè ad rem nostram Romanus Philosophus, Lucillo suo præscripsit instructionem Epist: 40. *Quemadmodum Sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio pressa, non audax. Tardiloquum te esse jubeo.*

ANNOTATIO 6ta.

SENTITE de DOMINO in BONITATE.

Bonitas latere, non apparere quærat.

SEnsum bonum interiorem exoptat, non sermones provocat Sapiens: Ne bonitas exteriùs apparere quærat: quasi docere nos vellet: ut sensus vester bonitatem contrahat, interius servari debet. Sepulta esse oportet, & ab oculis, exterioreq; omnium sensu remota, quæ bona esse disiderant.

Bombyx ut Sericea ducat fila, involucrum quærit, & in secreto laborat; cui congruum additur lemma: *Operitur, dum operatur.* Unde canit Tibullus: *Procul absit gloria vulgi.*

Quidquid nobilius in orbe reperitur, eo remotius esse ab oculis hominum experimur. Cor primum & ultimum hominis vivens, intra pectoris latebras reconditur. Aurum terræ visceribus occultatur. Coralium sinu maris detinetur, & si à piscatoribus ex aquis educatur, quasi indigné ferens produci in conspectum, quòd antea candidissimum latebat, rubore statim suffunditur. Margaritas concharum gremio conclusas legimus; & in abditissimis montibus adamantes; ita omnia à publica luce removeri necessum, quæ bona, quæ pretiosa æstimari volunt.

Consultissimè coronatus Vates, noctis tempus deputavit lacrymis: *Per singulas noctes lacrymis meis stratum meum rigabo* Psal: 6. ne has Cælo præparatas gemmas, omnia circumspiciens mundi oculus solvideret.

S. August: lib: 21. de Civit: DEI c. 5. refert: quòd Poma in terra Sodomorum gignantur quidem, & ad maturitatis faciem perveniant, sed morsu tentata, in fumum ac favillam fatiscente corio vanescant. Sic quid quid suam pulchritudinem ad jactantiam, oculorumq, ludendã

speci-

speciem depingit, nihil præter fumum retinet. Hinc rectè Novarius in umb: lib. 4, *A mundo sua videri qui quærit, non est mundus; eximiam laudem meretur, qui se ab hominum laudibus eximit.*

Matth: 13. Cur cæleste Regnum sub similitudine thesauri absconditi nobis proponitur? *Simile est Regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Posset quidem esse congrua ratio assimilati cæli thesauro in agro abscondito; ut instrueremur sicut thesaurum non levari de agro ab otiosis, ita nec cælum possideri. Sudore prius riganda tellus est, antequam de agri visceribus extrahatur thesaurus; labore certandum ei, qui manu, cæli coronam tenere exoptat. *Non dormientibus provenit regnum Cælorum, nec otio & desidiâ torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur:* denuntiat S. Leo. Ceterum illa potiùs ratio ad rem præsentem tenenda; quia sicut in agro, nullus seminum fructus colligitur, nisi ipsa semina sub terræ gleba lateant. Semina quippe abscondita fructum ferunt; ita & cælum nisi per opera ab oculis hominum remota, comparatur. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito.* Docet Philosophia: *Similia sunt, quorũ qualitas una.* Desiderat quis ut ejus opera conformentur cælo, cælestemq; induant naturam, abscondita esse debent. Diversa eorum qualitas, quorum unum abscondi, alterum peteret esse palam; abscondi utrumq; debet; ut utrumq, eandem qualitatem habeat; tunc opera nostra erunt bona, tunc cælestibus similia, cum fuerint abscondita.

Virtus sit thesaurus absconditus

In hist: Venet: Petr: Iust: in celso Duce refertur, quòd Celsus Venetiarum Dux monetas cudi fecerit, in quarum una parte, cornu erat ducale, tanquam Principis Venetorum decus Capitis, supra illud autem sculptus erat crucifixus, cum hac per monetæ circulum ductâ inscriptione: *Non mihi, sed Christo.* Sub ejusmodi inscriptione singula opera nostra prodire debent, si integrum valorem & pretium retinere cupiunt.

S. Gregor: hom: 1. in Evangel. tali nos argumento ad vitandos hominum oculos dum rectè operamur, inclinare nititur. *In præsenti, inquit vita, quasi in via sumus, quâ ad Patriam pergimus; maligni au-*

tem Spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident: deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.

Lucæ 2. Mirum est quòd Christum Parentes in Templo sedentem invenerint in medio Doctorum, audientem & interrogantem eos. Cur Doctores interrogat, qui præ omnibus Sapit? & quæ causa, quòd tam patienter auscultat ut addiscat, qui nihil ignorat? nos instruere voluit non verbis inculcando, sed operibus informando, ut cùm S. Ambrosio D. Thomas respondet, dicens: *Christus voluit ad speciem addiscere, & auscultare, ut noverint homines, si quid virtutis & bonitatis possident, tacitè abscondere, & non in conspectu omnium vanè ostentare.* Quibus subscribit Origenes idipsum exponens: *Interrogabat, inquit, non ut addisceret, sed ut interrogans erudiret homines, ut se vana ostentatione non jactent.*

Ostentatio fugienda.

Exod: 4. De manu MOYSI traditur mundam fuisse, quamdiu in sinu retineretur, sed eductam & aliorum oculis expositam lepra infecit. Manus opera nostra sunt, quæ tamdiu munda, quamdiu in sinu tecta continentur, inficiuntur leprâ, si proferantur in lucem.

Lucæ 7. Describuntur pænitentis Magdalenæ dignæ adversione circũstantiæ: Ubi dicit Sacer textus: *Stans retro secus pedes Domini, lacrymis cæpit rigare pedes ejus.* Mirum est quòd refertur, & imprimis Stans & tamen secus pedes prostrata. Si stat? quomodo pedibus admovetur? vel si pedibus vicina Christi? quomodo stantem S. Evangelista proponit. Dilucidè eam difficultatem resolvit D. Chrisol: sermon: I. talem formans universalem: *Stans: quia jam cadere non potest, qui ad pedes Christi meruit pervenire.* Sanctus verò Antoninus hunc locum considerans, humilitatem omnibus persvadere nititur, quæ licet nos inclinet, non tamen deprimit, sed elevat, ita dicens: *Stat & erigitur, qui se propter Christum inclinat.* Deinde neq; hoc sine MYSTERIO: *stans secus pedes*, cur non ad latus, non ad plenam donis Christi dexteram &c: Satisfacit & huic quæsito citatus D. Chrysol: dicens: *Ad pedes tendit semper citam veniam qui requirit.* Iam verò Euthymius hic: *stetit,* inquit

inquit, *ad extremas illius partes, tanquam extrema.* Illa scilicet quæ sunt in facie, humeris, manibus &c: facilè incurrunt in oculos hominum, non longè ab oculis distant, quæ verò ad pedes sunt, nec facilè ad oculos perveniunt, & longiùs distant ab illis. Proinde pænitentiam suam, quam gratam esse voluit Christo, procul eam ab oculis ablegare debuerat.

Tandem addidit: *Retro stans.* Cur non in oculis ac conspectu Salvatoris stetit? nonne citiùs respectum invenisset Christi? sed facilis ratio: Exemplo nempè suo declaravit, non ad oculum opera bona fieri debere, ut suam conservent dignitatem. Hinc S. Chrysol: *Venit satisfactura DEO, non homini placitura.*

Ioanna Austriaca Ducissa Tusciæ, ut omnem suam gloriam à Duce sponso suo acceptam ostenderet, in eumq; eandem referret, jussit exprimi gemmam radiis solaribus expositam cùm lemmate: *Tu splendorem, tu decorem.* Ita pariter convenit ut & nos operibus nostris solam DEI laudem intendamus, sæpius ingeminando: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini Tuo da gloriam.* Minùs enim laudabile est, si alicui congruat, quòd olim Tacitus Mutiano exprobravit: *Omnium quæ dixerat, feceratq; arte quâdam ostentator.*

B. Iordanus de Saxonia serm: 94. de Epiph: inquirit: Cur Infans DEUS, adorantes se Reges, nec unico solatus est verbo? & respondet: *Ne Divinitas ante tempus revelaretur, & ut vera humanitas haberetur, humanitatis velo, Divinitatem obducere voluit.* Velari scilicet & latere non renuit, quidquid summum, quidquid Divinum est.

Observant Doctores Ecclesiæ, tot à Salvatore nostro facta miracula, tot à mortuis resuscitatos, à varijs liberatos morbis, nullum tamen ex illis admissum, qui sequeretur Dominum. Sic Luc: 7. dixit uni: *Vade in pace.* Ibidem Lazaro: *Solvite eum, & sinite abire.* Ioan: 5. *Surge, tolle grabatum tuum & vade.* Cujus rationem assignat D. Chrysost. hom: 63. dicens: *Intuere quòd nullam gloriam expectat, non ducit eum* (id est Lazarum] *non jubet secum esse, ut rem non ostentet facto mira-*

miraculò. Et subdit alter: *ne suarum laudum præconem secum ad suã jactantiam circumferre videretur.*

Concludat præclarum, omnium mentibus imprimendum Valerii Maximi effatum; *nihil*, inquit ille, *est, quòd magis minuat laudis præconiũ, quàm suos jactare successus.*

ANNOTATIO 7ma.

SENTITE de DOMINO in BONITATE.

De rebus affectus plerumq; judicia format

CUr Sapiens bonum sensum maximè commendat? quia scilicet à bonitate sensûs ac judicij nostri totum dependet: Nam prout de rebus judicamus, ita iisdem afficimur; & sæpe judicia nostra ad inclinationem affectûs, non ad rectæ rationis lumen efformantur. Plus quandoq; voluntatis propensiò, quàm legum justiq; ratio in cudendis de rerum statu sententiis laborat.

Frequentissimè sensus judiciaq; nostra induunt naturam vitri, quòd talia repræsentat objecta, quali imbuitur colore; & quamvis nitidissimas quandoq; experiamur rerum facies, si tamen per vitrum, rubro colore imbutum repræsententur, rubræ apparebunt. Hinc illud: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

Memorant historiæ de Hispano Nobili, qui inter varia industriosa specula, unum præ cæteris mirandum efformaverit, quòd pro diversitate constitutionis àëris, nunc speciem venustam ac vividam, nunc eandem horridam ac cadaverosam spectantium oculis proponeret. Ita homines pro diversitate affectionum suarum, diversissima de singulis rebus formant judicia, proferuntq; sensus.

Valerius lib. 4. c. 1. scribit: quòd Plato, cùm apud eum accusaretur Xenocrates discipulus, quòd de Magistro suo, multa impiè locutus esset, dixit: *Hæc sibi improbabilia videri.* Instanti verò delatori cur sibi

non

non crederetur? adjecit Plato: *Incredibile est ut quem tantopere amo, ab eo invicem non diligar.* Cum autem accusator juramenro id firmaret; Plato reposuit: *Xenocrates nunquam illa dicturus fuisset, nisi ea dici, sibi expedire judicasset.* Ita bonus de alio sensus efficax est in svadendo, ita affectus in retinendo & propugnado semel concepto judicio, est constans, ut omnes aliæ probationes nihil evincere valeant.

Exod: 32. Cùm hebræi, erectâ in Divinitatis cultum vituli statuâ, ejus adorationem festivis cantibus & plausibus prosequerentur: Moyses & Iosue descendentes de monte, resonantiumq; vocum audientes strepitum, diversa de illis judicia, diversos formant sensus. Audivit enim Iosue voces illas, & pugnantium clamores nominavit: *Ululatus, inquit, pugnæ auditur in castris.* Audivit easdem Moyses: & plaudentium cantica dixit: *Vocem cantantium ego audio.* Quid hoc? eædem voces, ex eodem loco auditæ, tam diversum sonant? Nempe Iosue vir bellator erat, prout tot ejus heroica facinora declarant. Moyses verò erat vir pacificus, mansvetus, ut Num: 12 refertur: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Unde quisq; de auditis juxta suum genium efformavit judicium. Iosue bellator ad suæ inclinationis tribunal judicium evocavit, de Israelitarum vocibus; quæ mitiori Moysi pacificum aliquid sonant; cantumq; non prælia repræsentant.

Psal: 13 Iniquissima format insipiens edicta ac judicia: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.* Quomodo tanta ejus mentem occupare poterat stultitia, ut DEUM non esse decerneret? Perpendamus exactè singula; tam iniqui tribunalis excutiamus decretum: *Dixit insipiens in corde suo.* Non mente sed corde judicavit. Non ratio recta, sed pravus animi affectus huic præerat judicio; appetitus corruptus, non bene ordinata mens ejusmodi dixit sententiam. Dixit insipiens in corde. Ita plerumq; hominum de rebus judicium, affectus non ratio gubernat. *Errat affectus in judiciis.*

Talpam ait Aristoteles oculos habere, quamvis non videat: Natura orga-

organa visionis, ut in cæteris animantibus disposuit, unde oculorum concava in talpa reperiuntur, at humoris crassi copia efficit, ut membranæ juxta illos accrescant,& omnino claudant. Male affectus homo similitudinem exprimit talpæ, oculos habet, sed humore nimio pravorum affectuum obscurantur, ne videat res, sicuti sunt, nec de illis judicium ferat, prout merentur, sed ut hi affectus eas repræsentant.

Dicebat Abbas Cellensis lib. *9* Ep: 1. *Affectus tuus operi nomen imponit.* Non sua dat rebus nomina pravis affectibus imbutus homo, sed prout inclinatur, & cuiq; afficitur, cudit titulos. Virtutem vocat hypocrisim. Insolentiæ vitia, recreationis adornat vocabulo. Veritatem somnium, Impudentiam urbanitatem appellat. Non juxta rectæ rationis principia, quæ aversatur, sed juxta iniquos affectus, quibus indulget, suos profert sensus, format judicia. *Affectus tuus operi nomen imponit.*

Rectè asseruit Ioannes XXIII. Pontifex: *Nihil tam alienum est à veritate, quàm vulgi judicium: Nam quilibet vel affectione trahitur, vel ab apparenti colore movetur.*

Psalm: 4. Inquirit Vates regius: *Quis ostendit nobis bona?* & respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nempe tunc solùm bonos concipimus sensus, & recta formamus de rebus judicia, cum in illis proferendis lumen rationis affulget, & nullus obfuscat affectus. Undè Seneca Epist; 71: ait: *Nulla res majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.*

Apologus depravati judicii.

Potest id ipsum illustrari apologo illo, qui de leone, lupo & asino refertur. Olim leo cum lupo, longâ exercitati fame, inito secum consilio, asinum invadere decreverunt, ut tamen justè ac debitè rem agere viderentur, convenientes unà cum asino in eundem locum, injecerunt discursuum materiam de pænitentia; promovendo variis rationibus optimum esse, si unumquodq; ex illis animalibus sua fateatur peccata, & pænitentiam pro illis postulet sibi assignandam. Placuit omnibus ea sententia, proinde Princeps animalium leo, cæpit sua enumerare deli-

delicta, dicens: scio me multas suffocasse feras, innumera absumpsisse animalia, sustulisse boves. Sed doleo de tanta rabie ac feritate mea. Conabor temperare in posterum iras, componere furorem, nunc rogo pœnitentiam: ubi hæc inaudiit lupus; respondit: Non est, unde tantis scrupulis angaris Princeps maximè. Regem te inter animalia, Natura constituit, altum tibi super universa dominium. Licet Principi, quidquid libet. Subditos, non Reges jura ligant. Quomodo superstes viveres in mundo, si te cæterorum animalium mortes non nutrirent ad vitam. Haud tali ferarum prædâ DEUS offenditur, qui in veteri lege multa pecora in sacrificium, sibi offerri jussit. Et certè quo alerentur tot animalium greges? si nullum illorum tolleretur de vita. Placuit hæc sententia leoni, pro qua habuit gratias lupo. Deinde lupus sua crimina recitare aggressus: Et ego non unum deglutivi animal, anseres, oves rapere, non numerare didici. Satur etiam, alienas quandoq; invasi caulas, occurentes absumpsi lepores, absq; ulla gravioris necessitatis exigentiâ, vix non totos greges meæ voracitatis feci victimas. Auditis hisce Leo dixit: Non rectè quidem egisti, cum nullâ fame coactus plura occideres animalia, sed quod ingravescente fame, aliquam de gregibus subduxeris prædam, nullum delictum censeas: sic enim tuum natura disposuit ventriculum, ut paucis contentari nequeat. Certum autem est, quod ea agendo quæ natura exigit, nemini vitio vertitur. Memineris tamen in posterum, ne frustra perdas oves, mactes anseres, dum tibi venter satur, interim pro pænitentia osculeris terram. Egit lupus gratias pro discreta pænitentia. Ordo tandem tangebat asinum, ut sua confiteretur peccata. Sed nihil in se vitiosi reperiens dixit: Nullam me crudelitatem exercuisse scio, nullam prægustasse gallinam, Sangvini nullius inhiasse, læsisse nullum; unicum inquit mihi semel acciderat: Quando proprium vice quadam sequebar Dominum, adverti de lacero ejus calceo parum prodire straminis, quia verò fames urgebat, aliquantum attraxi de illo, & comedi. Leo fingens se non bene percepisse, quæ protulerat asinus; conversus ad lupum quærit: quid ejusmodi

fecit asinus? verum ipse Asinus distinctiùs rem enarravit dicens: Princeps maxime, hoc me fecisse confiteor, & in hoc scrupulum patior, quod semel aliquid straminis de calceo Domini prospicientis attraxerim; longa equidem fames me coegerat. Hæc audiens Leo formare judicium, cudere decreta, cum lupo cæpit, contra Asinum. Quid tibi, inquit Leo, videtur? quantâ pro tam grandi delicto dignus sit pænâ? Proprium aggredi Dominum: nefas vix à sæculis auditum. Contra suum nutritium dentes acuere? scelus immane. Adjecit lupus: si ille prædo dicitur, qui viatores aggreditur, & à tergo dolosè insidias parat, quid de Asino censendum? qui adversus Dominum & Benefactorem suum, hæc moliri ausus, quibus eum supplantaret. Pedi insidiabatur sui Domini? ut eum subverteret. Quid si Dominus eo perterrefactus molimine, morbi causam contraxisset; quantorum malorum origo Asinus fuisset? O magnum, nec levi pæna expiandum Asini facinus! Addidit insuper Leo: Si stramen, pedis involucrum arrodere ausus, nec ipsi pedi pepercisset, imò & ipsum Dominum devorasset, si ipsi per naturam licuisset. Non est itaq; diutiùs in vita servandus, qui sui Domini vitæ adversari præsupmsit. Nostra proinde fiat præda Asinus. Vix diversâ serie trahuntur ab animo hominum, sensus ac judicia, ubi pro tribunali non ratio, Divinæq; aut humanæ legis respectus, sed vitiatæ naturæ impetus, & depravatus, præsidet affectus.

Docet ars Perspectivæ, quod oculus à supposito digito, extra situm suum debitum dimotus, rem unicam ac indivisibilem, instar duarum apprehendat. Unde lemma: *Fallitur dum movetur.* Ita omnino oculus mentis ab affectionum motu circumventus, non in leves impellitur errores. Monet proinde gravi ac prudenti oratione Innocentius 4. in Concilio Lugdunensi, dicens: *Caveant Ecclesiastici Iudices, & prudenter attendant, ut in causarum processibus, nihil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium aut expectatio præmii Iustitiam non evertat; sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum DEUM.* ANN-

ANNOTATIONES

IN textum qui sequitur: *In simplicitate cordis quærite illum.* Ubi plures haberi possunt Annotationum ac reflexionum fontes, tum ex ipsa simplicitatis quidditate, tum ex combinatione unius cordis cum pluralitate quærentium, tum ex aliis dictorum proprietatibus. Sit itaq;

ANNOTATIO Ima.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM.

MEdium quærendi DEUM efficacissimum censet & commendat sapiens, *in simplicitate cordis.* Nempe hominis DEO intenti & sedulò ejus inquirentis faciem, simplicitatis ac sinceritatis amor, cor regere debet. Simplicitas & animi candor compendiosa est ad DEUM via; cor verò fraudibus ac dolositate plenum, & à DEO & ab hominum consvetudine, quemq; removet & elongat.

Cor candidum & à fraudibus alienum DEO conjungit homines.

Duæ sunt hujus discursûs partes. Ima in commendationem simplicitatis & candoris animi. 2da in vituperium dolositatis.

QUANTUM ad Imum

Eccl: 9. monet Spiritus S. per Prophetam: *Omni tempore, sint vestimenta tua candida.* Cur non manus? non facies? sed vestimenta candida requiruntur? fortassis juxta receptum proverbium: *Testis est vestis, qualis intrinsecùs estis.* Voluit candorem animi intimare, non dissentiente D. Ambrosio, qui lib: 1. offic: c. 18. ait: *Habitus mentis, in corporis statu cernitur.*

Subscribit eidem sententiæ S. Isidorus, in Epist: ad Redemptum

Archidiaconum, dicens: *In utroq; testamento candorem vestium maximè approbari, eo, quòd in eo mentis sinceritas requiratur, quam constat inter cæteras virtutes DEO esse gratiosiorem.*

Nemo feliciùs appropinquat DEO, quàm ille cui concessum ad ipsius throni conspectum accedere. Expendamus verò quinam primi stipabunt thronum DEI; & edocebit nos D. Ioannes, qui Apocal: 7. dicit: *Stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis.* Nempe candor primum locum in cælo obtinuit.

Sinceritas animi commendatur

Decreverat Christus Dominus cælestis gloriæ Majestatem ostendere Apostolis: quânam viâ id exhibeat? videamus: *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix,* dicit sacer textus Matth: 17. Cujus rationem assignat S. Isidorus: *Quibus omnibus locis minimè fucati animi, sed puri, candidi, ac sinceri commendantur.*

Prohibuit olim DEUS ne populus Israeliticus panem comederet fermentatum. *Quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel:* Exod: 12. Quid obsecro DEO fuit cum fermento, ne illud in cibum adhiberi pateretur. Oleaster respondet: *Abhorruit semper Dominus à mixturis.* Præcepit enim non arandum in asino & bove Deut: 22. Non serendam terram diverso semine Deut: 22. Non gestandam vestem ex lano & lino. Ne quid duplicitatis in sua reperiretur creatura. Voluit nos simplices esse, & in simplicitate cordis inquirere Dominum.

Isaiæ 38. Ezechias Rex, cum illi Isaias Propheta diem mortis nuntiaverit; supplicem DEO porrexit libellum, spe certâ fretus de aliquot vitæ annis sibi prorogandis. Sed unde tam firma spes de inveniendа in conspectu Domini gratia? *En* inquit, *obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate.* Nullum præstantius medium esse potest ad omnia, à DEO obtinenda, quàm nullo fuco temerata veritas, ac cordis simplicitas. *In simplicitate cordis quærite illum.*

Matth: 18. Non sine Mysterio Christus Dominus, ad dissolvendam quæstionem, quæ inter Apostolos orta est: *Quis putas major est in*

Regno

Regno Cælorum? advocans parvulum ſtatuit in medio eorum, cum adjecta comminatione: niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in Regnum cælorum. Cur non ſenio præditum adhibuit diſcutiendæ inter Apoſtolos controverſiæ? ſed parvulum mediatorem in circulo Orbis Doctorum fecit: De majoratu nempe & honoribus agitabatur cauſa, proinde parvulum ſtatuit; non tam verbo, quam opere inſtruens; quod non anni, ſed virtutes ad calculum ire debeant, ubi de honore diſceptatur. Succenſere quidam juvenili Alexandri ætati non dubitavit, ſed illi, teſte Curtio, congrue repoſuit: *Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed perennitatis.* Neq; enim derogare ætas cuiquam poteſt, cui Virtus ſuffragatur. Miſerum illum Regnorum ſtatum, ubi ſola canities candidatos facit. *Nihil turpius eſt; exclamat* Seneca, *quam grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, quàm ætatem.* Etiam teneræ ætatis, adſtricta membris ſublimior Iuventæ mens, adulta parit conſilia: Anno 1219. ut memorant annales, in Belgio parvulus puer evicit omnino apud Parentes, ut S. Franciſci habitu indutus incederet; quo obtento, nunquam ampliùs calceamentis uſus, nullas pecunias attrectare paſſus eſt, ſuper nuda cubabat humo, zeloſè perorabat ad populum de inferni pœnis. cum aliqua minùs decentia loqueretur Parens, monebat illum dicens: qui talia loquitur, cælo excludetur. Advertens Matrem ornatam in templo; oſtendebat illi crucifixi effigiem nullo ornatu tectam. ſic mirabilem vix capit vitam, cælo, in flore ætatis, maturuit: nam ſeptennis mortuus, cum magno Communionis deſiderio, ob annorum defectum, ſibi denegatæ. Dici de hoc Iuvene poterat, quod S. Ambr: ſer: 90: de S. Agnete: *Computabatur in annis infantia, ſed erat ſenectus mentis immenſa.*

Virtus non ætas ad regimen promovet.

Advocans parvulum ſtatuit eum in medio. Quid eſt quod parvulus inter grandævos, nec nomine, nec ſtaturâ aſſurgat? In medio quippe dignìorum, quàm ipſe fuit, creſcere non valuit. Quidam alto de Sanguine natus, inter Eccleſiaſticos non poſtremus Prælatus, plus generi, quàm morum probitati præfidens, poſtquam ſibi innotuiſſet, quod ſuus

Præſtantior ſublimi genere virtus

Conſan-

Consangvineus Petri cathedram conscendisset, cum spe & desiderio galeri cardinalitii, expediit ad novum Pontificem, proprium Oratorem, qui inter donaria ferret argenteam lancem, aurea cerasa, viridi depicta colore continentem; ad latus, sol expressus videbatur, uvis viridibus inscriptione adjecta: *Expectant à sole ruborem.* Hæc Pontifex grato tantisper acceptans animo, postea tamen intelligens, quid ejusmodi munere peteretur, remittens eidem oblatum sibi donarium, jussit inter Solem & uvas virides, eminentem depingi arborem, umbram in cerasa projicientem; cum lemmate: *Umbra rubere negat, quæ venit ab altis.* Designans non deesse digniores, qui merentur ejusmodi promotionem.

Statuit eum in medio eorum, nisi efficiamini &c: Mirum est non parvulus ad incrementa majoribus paria, invitatur; sed Apostoli ad pueritiam redire urgentur: *Nisi efficiamini sicut parvuli.* Fortassis ex eo: stabat parvulus in medio, æquali ab omnibus distans spatio, non magis ad unum, quam ad alterum propensus; quod non dum protunc inter Apostolos servabatur; ut ergo illos redargueret Christus, parvulum sequendum proponit; quasi diceret: de majoritate jurgia excitastis, discite magnarum esse mentium, pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis exhibere benevolentias. Hinc Virg: lib. 10. Æneid. *Rex Jupiter omnibus idem.*

Æquanimitas ad omnes

Aliam tamen hujus facti affert rationem S. Maximus dicens: *Unde Intelligimus quòd humilitate pervenitur ad Regnum, simplicitate penetratur ad cælum.* Docere nos scilicet Magister omnium voluit nullam esse compendiosiorem viam penetrandi ad DEUM, quàm sit simplicitas cordis. Addit robur eidem sententiæ D. Hilarius comment: in Matth: ubi ait: *Non nisi reversos in naturam puerorum intrare Regnum cælorum Dominus docet: id est per simplicitatem puerilem vitia Corporum, nostrorum, animæq; revocanda:* Et infra: *Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium; hi enim proximo velle malum nesciunt; curam opum negligunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt.* Putant aliqui istum puerum, qui est constitutus in medio, fuisse Nathanaelem,

de quo postea Christus: *Ecce verus Israelita in quo dolus non est.* si ita est? non miremur urgeri Apostolos ut efficiantur sicut hic parvulus: Intrare enim in Regnum cælorum nequit, quem cælo dolosus excludit animus.

QUANTUM ad 2dum.

Sed jam ad alteram propositi discursûs partem procedamus, quòd scilicet dolositas animi, nos à DEO & hominibus alienos facit & elonget

Possunt ejusmodi homines comparari cum mercatoribus, qui colubrinas exuvias vendunt, verba fundunt nitidissima, sed quibus nihil subest pectoris, juxta illud Marc: 7. *Populus hic, labiis me honorat, cor autem eorum, longè est à me.*

Dolositas à consortio DEI & hominum removet.

Possunt dolosi conferri cum ciconiis, sublimè quidem volantibus, sed rostro serpentem ferentibus. Item Apiculæ, quæ mel ostentat, sed non procul abest aculeus. P. Drexel. c. 25. in Phaet: assimilat dolosos Crabronibus: Crabro scilicet dum insidet flori, silet, dum avolat, inamænum murmurat. Sic hypocrita quamdiu mel affunditur, tacet, vel mulcet, cùm procul est à flore, barbaro fremitu tumultuatur.

Dolosi sunt ad instar Venatorum, qui fistulâ dulciter canunt, ut volucrem decipiant, ac deplument. Similes sunt histrioni qui omnem vultum induit, & nullam partem seriò agit.

Priscis erant pugiones sic dolosè tecti, ut nulla superesset suspicio latentis ferri, atq; hos vocabant dolones; de quo Maro innuit, dicens: *Pila manu, sævosq; gerunt in bella dolones.* Similes illis sunt dolosi homines, quorum genius est attestante D: Greg: lib. 20. c. 16. *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Et quid inter ejusmodi mortales Divini? quid humani inveniri potest? Omnem isti humanitatem exuunt, qui totum dolositati cor dedicant. Et certè cui mirum esse debet, quòd dolositas à DEO, & hominum convictu, elonget, reddatq; odiosos, cum contrarias leges humano convictui sequantur, quas P. Drexel: c: 21. in Phaet: refert. Ima illorum lex: Nihil cuiquam credas, quantumvis

in speciem amico. 2. Nullum tibi ex animo amicum existimes, neq; tu sis ulli. 3. Esto tamen comis & blandus singulis, perinde quasi neminem non ames. 4. Officiorum illorum, esto largissimus, quæ nihil habent impendii: saluta blandè, complectere peramanter, honoris & amoris titulos repete, lauda affatim, pollicearis largiter. 5. Nullum apertè lædas, à tergo quantum potes. 6. Adulari ad amussim scias. 7. Decipere alium civile & urbanum censeto. 8. Tibi ab omnibus tanquam hostibus caveto. 9. Memoriâ sic excellito, ut injurias silici, pulveri benefacta inscribas, ista verbis, illa pugnis rependito. O depravatos, sub tam iniquis legibus, mores! O animum hisce telis instructum extra humani generis convictum, relegandum.

Pravæ dolosi leges

Nec desunt exempla. In Græcia Dercyllidas vafer homo, Sisyphi nomen habens, cum Cleomene spartano, septem dierum inducias est pactus; tertiâ tamen nocte iuvasit Cleomenis castra, in quibus peremit & abduxit plurimos. Insimulatus perfidiæ, eludebat flagitium dicens: nullam se dum concluderentur induciæ, noctium fecisse mentionem, solos dies in pactum venisse. Sed ob hanc fraudem Argos ei redire non permissum, quæ ignominia ad insaniam hominem redegit. Ita animi dolositas, non solùm ab hominum consortio, sed etiam rationis usu, pollente hominum mente, dividit & elongat.

Galeacius Dux Mediolanensium cum audisset causidicum vafro ingenio lites producere, accitum ad se affatur: Debeo, inquit, pistori centum aureos, defendesne me jure, ne solvam? annuit ille. Sed Galeacius fraudis confessum, verbis priùs increpitum, laqueo publico necari jussit.

Scribit Livius dec: 1. lib: 5. quòd cùm Camillus Falerios Tusciæ urbem obsideret, ubi mos erat eundem habere Magistrum puerorum, & Comitem. Hic lusibus variis ultra mœnia processit cum pueris, & ad Camillum perduxit, fraudulentum eidem aperiens Consilium, quòd scilicet cum his pueris facilè in Romanorum potestatem sit ventura Civitas, quorum Parentes urbis sunt moderatores. At Camillus repo-

reposuit: *Non ad tui similem populum, nec Imperatorem, sceleftus ipse, cum scelesto munere venisti. Arma habemus non adversus eam ætatem, cui, etiam captis Urbibus parcitur, sed adversus armatos. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti; ego Romanis artibus: virtute, opere, armis vincam.* Virgas deinde pueris porrigi fecit, quibus vinctum proditorem verberantes in Urbem agerent.

Machab: 6. nota est historia de Eleazaro uno ex primoribus scribarum, qui ab amicis inducebatur, ut saltem simularet, quòd carnes vetitas lege, ad imperium Regis manducaret; quibus respondit ille: *Præmitti se potiùs velle in infernum; non enim ætati nostræ dignum est fingere.* Expendamus dicta, scrutemur heroicum Eleazari animum. Præmitti dicit in infernum malo, quàm fingere, quasi innueret: longâ quidem distantiâ infernus separat à DEO, sed fictio, simplicitatisq; expers animus, majora facit divortia. Infernus pænas continet, simulatio causat. Fortitudine prorsus hîc opus est. Cadere quidem sub ferro possum: à vero & recto flecti non possum. Non me minæ Regis, non tormenta terrent, quæ finiuntur. Terrent æterna, quæ fraudulenta succendit simulatio. Obsequendum Regi svadetis Amici? obsequar, si illi possum & DEO, at cum illum in locum redactus sum, ut alterutri renuntiare necessum sit: renuntiabo Regi, ut obsequar DEO. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere.*

Sophon: 1. Gravis est illa comminatio Divina: *Visitabo*, inquit, *super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Quid sibi vult & quos petat ejusmodi comminatio? Audiamus D. Hieronymum hujus loci interpretem. Illos hic dicit designari, *qui simplici virtutum habitu non contenti, multiplices externarum gentium ritus imitantur; qui à fidei simplicitate, in multiplicitatem perfidiæ degenerant, & in uno corpore plures gestare animos, in uno ore plures Personas agere, in uno homine plures mentiri homines videntur.* Neq; procul abest ab hac interpretatione Rupertus, qui per vestem peregrinam intelligit hypocrisim, quam qui sibi induit, unus esse desinit, multiplex constituitur.

Procul itaq; ab eorum animo exulet dolositas, qui nec ab hominum consortio elongari, nec à Divina exterminari gratia desiderant.

ANNOTATIO 2da.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM.

Constans animus in omni fortunæ alea.

ILla, quæ sunt simplicia, juxta Philosophiam, non subjacent mutationi. Feliciter itaq; inquirit, facilèq; consequitur DEUm, quisquis eum corde constanti, animo mutationi non subjacente investigat. Constantia animi, & mutari nescia mens, facilem ad DEUm inveniendum aperit viam. In utraq; fortuna constans esse debet, qui DEUm, ejusq; inquirit gratiam.

Quibus sincerus adest DEUm inquirendi animus, debent assimilari Topazio, de quo S. Ioannes Chrysost: apud Anastasium Nicen: q: 48. dicit: tritus in medico mortario, colorem quidem non amittit, sed fundit succum lacteum, implet autem multos crateres, & neq; pondere minuitur, neq; circumferentiâ. Unde nec de magnitudine ejus quidquam decedit, nec de gravitate. Talem oportet esse DEI servum, qui licet contundatur, simplex sit, non scintillas ab ira provocet, non de perturbato corde sangvinem fundat, sed eandem semper, & vultûs serenitatem, & animi tranquillitatem retineat. Absit ab eodem, ut histrionum morem agat, de quibus D. Hieron: in Epist: 18. ad Marcellam: *In theatralibus scenis unus atq; idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem.* Potiùs sequatur quisq; ea, ad quæ hortatur D. Ephrem tract: de spir: dicens: *Quemadmodum uncus aqua licet semper verberetur, non tamen dat tergum, neq; concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet, sibiq; similis, sic qui verum se vult gerere Christi-*

anum

unum, unus & idem maneat oportet, fortiter quæcunq; obvenientia perferens.

Psalm: 33. canit David: *Benedicam Dominum in omni tempore.* S. Cæsarius hom: 19. quærit: *Quis est qui benedicit DEUm in omni tempore?* & respondet: *quem non felicitas corrumpit, nec adversitas terret.*

Incredibile pene dictu est, quam multa fuerint in templo salomonis, vasa aurea, argentea, & ærea prout ex *3.* Reg. *7.* constat, cur itaq; in tanta multitudine vasorum, ne unum quidem vitreum reperiatur? potest quidem ratio afferri, ex eo id factum esse, quod vitrum cum facilè frangatur, sit symbolum inconstantiæ, quam DEUS vult è suo Templo exulare. Potior tamen videtur causa, quia vitrum, quàm expers est proprii coloris, tam facile refert alienos: quibuscunq; enim liquoribus imbuitur, statim concolor efficitur. Procul igitur voluit DEUS à suo abesse obsequio omnes, qui non servant unam rationem vivendi, sed in diversa studia feruntur, & nunc hos, nunc illos mores imitantur. *Inconstantia reprobatur.*

Psalm: 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Ex hebr: legitur: *in consilium inquietorum.* Quid est? illene solus beatitudinem meretur? ille ad visionem DEI, in qua consistit beatitudo, perveniet? qui non est ingressus viam inquietorum? Ergo inquietorum via à cælo & DEO aberrare facit? ita est. Longè, à cælo & DEO errat, qui in quietorum semitâ progredi statuit. Expendamus quid sit inquietus? ille nempe, qui ad levem etiam auræ motum, mutari consvevit; qui nunquam idem, semper cernitur alius, nunc blandus, nunc turbulentus, jam tristis, jam hilaris. Hinc D. Greg: in illū locum Iob 1. ubi describitur, quòd diabolus stare loco nesciat, terram circuit & perambulat, ita scribit: *Satan.* inquit, *laborans terram circuit, quia quietus in cæli culmine stare contempsit.* *Inquieti à cælo aberrant.*

S. Ambrosius Epist: 1: ad Iustum hartatur hominem, ut unus idemq; esse contendat, qui unius DEI Imago est, dicens: *Et tu ad similitudinem*

Domini, unus esto, atq; idem. Non hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastina die litigiosus, hodie frugi, crastina die incontinens: mutatur enim unusquisq; morum varietate, & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit: juxta illud: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipienbus.

Inde potissimùm gloriatur David, quòd nulla ejus animum mutasset fortuna; ita enim ab urbe profugus, ac indeserto incûlto peregrinus DEUm alloquitur: *In terra deserta, inviâ, & inaquosâ, sic in Sancto apparui tibi.* Psal: 62. In quem locum Euthymius ait: *Sensus est, quod tunc in tabernaculo, & nunc in deserto, æqualem erga DEUm, affectionem & benevolentiam conservavit, quasi non mutaretur cum fortuna: sed illa suas vices alternante, David suam in virtute constantiam retineret, & in decursu temporis, statum æternitatis conservaret.* Hinc Procopius in cap: 3. Isaiæ: *Fortem animum neq; unquam contrahit vituperatio, neq; facit insolentem laudatio.*

In radicibus montis illius, qui littori maritimo correspondet, ubi Timanus submersus est, cernuntur fontes, quorum aquæ cælo sereno, se subducunt, & abscondunt, cælo verò nubilo, tanta copia scaturiunt, ut per omnes circumquaq; locos diffundantur. Absit tanta vicissitudo ab animis DEO deditis. Nunquam hos in vitia diffluere decet, sed sive in prosperis, sive in adversis constantes esse debent.

ANNOTATIO 3tia

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM,

EX Sanctorum Patrum & Sacræ Theologiæ sensu; simplicia sunt illa, quæ sicut unionem, ita pariter divisionem excludunt: Nequit pati divisionem quod simplex est. Commendatur itaq; ut DEUS in simplicitate cordis quæratur: Tanta nimirum Majestas ac magnificentia

DEI

DEI nostri est, ut nullum cordis consortem admittat. Frustra intra illius pectoris domicilium quæritur DEUs, quod nec soli ipsi, nec uni patet. Quisquis desiderat intra sui cordis penetralia reperire DEUm, quamvis parvulum ac in cunis Bethleemiticis vagientem, integrum DEO cor offerre tenetur. Illius animo parvulus licet in carne DEUs, concludi nequit, quem sibi plures vendicant, nec unus in illo DEUs, sed multi hospitantur. Angustum VERBO quamvis abbreviato pectus est, quod multi inter se se partiuntur. Excluditur illo hospitio DEUs, patiturq; angustias, ubi alii diversantur.

Non patitur DEUs consortem in eodem corde.

Aptissimam hujus veritatis similitudinem affert Dionys: Cassius lib: 2. de agricul: c: 4. dicens: si duo sarmenta in uno scrobe sinantur, radices ipsæ coarctantur, & illa sufficiens alimentum non acquirunt, quemadmodum duo infantes neq; ali possunt ab una nutrice. At si scrobs unus, duo non capit sarmenta neq; una duos satis lactare infantes mulier potest; quomodo anima una servire queat rebus tam diversis & adversis, quàm sunt DEUs, & mundus? voluptas carnis & deliciæ Spiritus? Fieri non potest ut eodem tempore, unam DEO, alteram mundo mamillã præbeas. DEUs enim & mundus in cor unum convenire nequeunt.

Recte Pöeta quamvis de mundanis Principibus: *Omnis potestas impatiens consortis*: quidni Divina Potestas patiatur eundem.

Inquiritur à multis: cur inter immunda animalia reponeretur gallus gallinaceus, ut offerri in Sacrificium non potuerit? Ioannes à Gemiano lib: 4: c. 52. dicit hoc habere gallum, quod unum oculum inferiùs deprimat, alterum in äera dirigat. In aliis animalibus ita sibi fibris quibusdam oculi junguntur, ut videndo, in unam partem semper ambo collimient, solus gallus oculo uno terram; cælum altero simul respicit. NON valet itaq, ad Sacrificium Divinum. Haud DEO placent, qui amorem illius, cum terrenis affectibus confundunt; terram simul & cælum eodem respectu petunt. Quisquis DEO frui desiderat, Spiritu cælestis sponsæ animari debet, ad quam Cant: 4. sponsus ait: *Vulnerasti*

Gallus ad immunda animalia revocatur.

cor

cor meum in uno oculorum tuorum. Cur in uno tantùm? quia alterum non habuit, quo res creatas intueretur, ut D. Greg: Niss: Orat: 3 in Cant: *Qui ad solam illam DEI naturam visûs acumen dirigit; is in cæteris omnibus cæcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt.* Item S: Bern: Epist: 258. *Qui DEO simplici adhæret oculo, factus est & ipse simplex, aut certè jam non alter est oculus, sed unus cum eo;* Apostolo teste: *quoniam qui adhæret DEO unus Spiritus est cum eo.* 1. Cor 6.

Lucæ 2. narratur de infante IESU: *Non erat ei locus in diversorio.* Investigemus causam, quare in diversorio defuit Christo locus?

Christus non habet locum in diversorio cur?

1ma fortassis ideo: quia diversorium, solùm propter hospites, quo divertunt aliò transituri, & non semper mansuri. Haud ibi DEO homini congruus reperitur locus, ubi hospitem duntaxat agere cogitur. Displicet Numini ejusmodi Domicilium, nec suo pede ea dignatur limina, quibus recipitur, ut vix Salutatus expediatur. *Domum tuam decet Sanctitudo Domine, in longitudinem dierum.* Clamat Regius Psaltes. Psal: 92. Glossa ordinaria in prædictum locum Evangelii dicit: *Diversorium est domus inter muros, duas januas habens;* quasi intimare vellet: non posse illam animam, hospitem habere DEUm, in cujus domicilio duplex ostium, quorum altero venientem ad se Dominum admittat; altero eundem citiùs expediat. Plures habere fores anima non debet; una illi satis janua, quâ adventantem suscipiat DEUm, nunquam suo dimittendum hospitio.

2da ratio esse potest: quia diversorium à divertendo dicitur, ad quod à suscepto & directo itinere divertunt homines. Ejusmodi deflexiones, flexuositates aversatur DEUs, ad eos non nisi se recipit, qui rectô sunt corde.

3tia ratio: quia in diversoriis, frequenter jurgia, dissensiones, clamores audiuntur. In domo jurgiis & clamoribus plenâ, non est locus Infanti DEO. In pace nimirum locus ejus. *Cùm quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu, medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus venit.* Sap: 19.

4ta

4ta Ratio: quia in diversorio nunquam locus mundus conservatur, sed semper novis hospitibus advenientibus, novæ sordes advehuntur, DEUs autem amat munditiem: illi cordi adhæret, quod puritate eminet: Beati mundo corde: quoniam ipsi DEUm videbunt. Verùm, licet prædictæ rationes bonæ videantur: cur Christus in diversorio non repererit locum. Cæterum quia stabulo etiam convenire possunt, in quo natus est, alia causa subesse debet, cur ibi defuerit locus Infanti DEO. Nempe ad diversorium omnibus liber accessus, locum quisq; habere potest. Omne genus hominum, imò & brutorum in diversorio hospitantur; proinde Christo locus deest. Exesse Infans DEUs cogitur, quo omnes recipiuntur. Qui hominem DEUm in sua anima hospitem habere exoptat, illum coronati Prophetæ animum induat oportet, qui dicebat: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, præter Te DEUs cordis mei.* Unde S. Laurent: Iustin: *Delicata consolatio Divina est, nec datur admittentibus aliena.* Et Hugo Cardinalis inquirit rationem: *Cur ipse, qui nos creavit, non alium constituit, sed ipse reparator corruptæ naturæ esse voluit?* Et respondet: *ne amorē divideres inter Creatorem & Redemptorem, idem factus est tibi Creator & Redemptor.* Totum cor DEO.

Inter alias Constitutiones cōmunis est lex Cap: *Ubi pupilli*: Ne mulier, quæ convolavit ad secundas nuptias; prioris Matrimonii filios sub sua retineret tutelâ: aut alteri Marito renuntiare debet; aut Tutelæ munus, simulq; maternæ curæ viscera deponere cogitur. Cùm secundus maritus domum subintrat, filii sub alterius Tutoris tecta transferuntur. Ita infans DEUs nequit consortem pati.

Lucæ 8. Quid est? quod grana illa seminum, quæ Paterfamias seminaverat, omnia orta sunt, quamvis non omnia incrementum acceperint; unicum tantùm ex illis ne quidem ortum est in terra. Cecidit unum inter spinas, & ortum est, licet postea spinis suffocaretur. Cecidit aliud supra petram & quamvis aruerit successu temporis, nihilominùs ortum est: *Natum aruit.* Tertium supra bonam terram, & fecit fructum. Illud verò quod cecidit secus viam; non est penitus ortum

Intermissis aliis reflexionibus, huic loco congruam deduco. Ille Paterfamilias, non alium designat, nisi Patrem æternum. Semen autem, exponente ipso Christo: Verbum est. Cecidit die Nativitatis suæ supra petram, utpote reclinatum in præsepio VERBUM abbreviatum, licet brevi aruit, vel potiùs abiit in Ægyptum. Secus viam autem, in diversorio, neq; nasci voluit: nempè citiùs hoc Verbum conculcatur secus viam, quàm nascitur. Cujus cor tanquam secus viam, quo omnibus accessus non præcluditur: ibi Verbum Divinum non nascitur. Non obvium cuiq; pectus esse debet, quòd Infantem DEUm suo sinu complecti exoptat.

Semen est Verbum.

Psal: 18. Psaltes de DEO canit: *In sole posuit tabernaculum suum.* Cur non alibi? ut scilicet discamus, eam cordis nostri serenitatem requiri ad parandum in illo, Christo hospitium, quæ solis lucem æmuletur. Nulla in eo macula, nullæ tenebræ recondantur, necessum est. Sed ipse potiùs infans DEUS, sol est, qui de MARIÆ utero, tanquam sol de mari exoritur, juxta illud canentis Ecclesiæ: *Beata es MARIA, ex te enim, ortus est sol Iustitiæ.* Hæc verò est proprietas solis, quòd non priùs exoriatur, antequam stellæ extinguantur, Luna recedat, pellantur cætera Astra, quasi sol insimul cum hisce planetis conjungi non posset. Facilè luna cum tenebris noctium componetur, nec stellas à consortio lucis excludet. Ipse sol nullum consortem patitur, ex quo etiam solis nomen derivavit, quasi solus lucere exigens. Sol Iustitiæ Christus, ut in alicujus oriatur animo, ejusq; mentem collustret; procul alii abesse debent planetæ, erratica sidera procul, procul fatui ignes Inconstantiæ symbolum luna, simul cum sole stare nequit. Singularis apud quemq; DEUs esse desiderat.

Scribit Curtius quod Darius advertens fortunam belli favere Alexandro; miserit ad eum legatos, suam per eos exponens voluntatem, quâ decrevit, sui Regni consortem facere Alexandrum, sed hic reposuit: *Nec cælum duos soles, nec Regnum duos patitur Reges.*

Levitici 10. de Nadab & Abihu filiis Aaron habetur, quòd illos offeren-

ferentes Domino ignem alienum, erumpens de altari ignis devoraverit: *Egressusq; ignis à Domino, devoravit eos.* Cornel: à lapide ait: *Ex hoc altari ignis sacer, non ferens consortium ignis alieni, prosiliit, eumq; cum offerentibus absorbuit.* In cordis humani altari, præter sui amoris ignem, non patitur DEUs alterum; juxta illud: *Diliges Dominum DEUm tuum ex toto corde tuo.* Hinc Richardus Victorinus lib: 4. de contempl: c: 15. *Amor singularis consortem non recipit, socium non admittit.* *Cor humanum altare*

Psal: 18. describitur Salvator noster sub forma sponsi, dicente propheta: *Et ipse tanquam sponsus procedens.* Nec mirum, fecit enim Rex nuptias filio suo, cum Divinum Verbum naturæ humanæ conjungeretur. Quisquis itaq; suæ animæ Sponsum Christum ad sui cordis intima pertrahere desiderat, illi totum cor suum offerre tenetur. *Dilectus mihi & ego illi,* tertius interveniens ne nominetur.

ANNOTATIO 4ta.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM.

VIdimus simplicitatem in negatione divisionis, seu in unitate indivisibili consistere; quomodo ergo ista combinari poterunt; ut plures ad quærendum incitentur, & tamen unum pluribus cor commendetur? *quærite illum in simplicitate cordis.* Si plures erunt, qui DEUm inquirent; quomodo simplex ac unum cor habebunt? vel si indivisibile cor animabit pectus: quâ ratione plures animati numerabuntur? Sed mirari desinamus, & exequi, quæ suadet sapiens contendamus. Hoc est efficacissimum DEI inveniendi medium, si à pluribus in unitate cordis, & indivisibili animorum consensu requiratur. Personæ scilicet distinguantur, non animi in quærendo DEO. *Consensus animorum juvat ad inveniendũ DEUm.*

Carbonibus ignitis in unum collectis quidam addidit lemma: *Extinguimur si distinguimur.* Non aliter & nos in amore DEI perseverabi-

bimus, quàm uniti charitatis vinculo, tamdiu in servitio DEI ferventes quamdiu invicem uniti.

Fluvius si in plures alveos dividatur, facilè à quovis calcatur, & exsiccatur, antequam ad mare deveniat; ita & studium nostrum in quærendo DEO languescet, nisi concordi omnium animo foveatur.

Et certè, si sanitas maximè dependet à concordia humorum & qualitatum; Sanitas enim juxta Philosophos consistit in quâdam dispositione, quæ ex humido & sicco; frigido & calido, vel naturæ, vel artis beneficio aptè composito constat; quodsi tantillum naturæ demas, vel artis, dispositionem illam turbas; ipsam sanitatem evertis, ut Maximus Tyrius diss: 10. censet. Ita & salus æterna, in concordi animorum compositione persistit, hanc qui turbat, vitam subruit æternam.

Aristides quando cum Themistocle adversario suo expediretur ad legationem obeundam, dixit: *Visne*, inquit, *o Themistocles? ut in his montibus, inimicitias paulisper deponamus, recepturi eas, cùm redierimus.* Ostendens, nihil boni ab iis posse perfici, inter quos deest consensus animorum.

Sanctus Hieronymus in c. 1. Aggæi, excutit questionem: cur DEUS, impertiendo aliis creaturis benedictionem in prima mundi fabrica, 2dæ diei non benedixit, neq; illius opera laudavit, ut constat ex Gen: c. 1. & respondet: *Quia non poterat secundus dies, qui numerum facit, qui ab unione dividit, DEI sententiâ comprobari.* Non eluctabitur ad amplexum DEI, nec ejus merebitur benedictionem, qui divisiones non aversatur.

Cur sine sacculo & pecuniâ mittuntur Apostoli.

Matth: 10. Mirum est; quod Dominus expediendo Apostolos ad reducendas ad DEUm gentes, rigorosum simulq; mysteriosum eis præceptum dedit: *Nolite portare aurum, neq; pecuniam in zonis vestris.* Ejus 1mam rationem affert Paschasius Ratbert in hunc locum scribens: *Ne fortè viderentur Apostoli magis lucri gratiâ prædicare, quàm salutis humanæ, omnia subtrahit quæ possent esse scandala.* 2da ratio habetur ex D. Ambr; lib: de Ioseph. c. 13. *Ob id misit discipulos suos sine*

facculo, fine virga, fine pecunia, ut inftrumenta difcordiarum, & incentiva litis eriperet. Ubi palam eft ineptos illos effe ad prædicandum DEUm ad deducendas ad eum gentes, ad inveniendum fibi, aliisq́, Conditorem cæli, & terræ, qui intra fuum gremium, diffidiorum patiuntur pericula.

Alexander ab Alexandria lib. 4. c. 15. narrat: quòd Pardani monetæ duos gallos concertantes impreſſerint: *In nummis fculpfère Pardani duos gallos inter fe pugnantes, volentes fignificare omnium difcordiarum radicem effe pecuniam.* Chriftus itaq́, congruos prædicationi facturus Apoftolos, negavit eis pecuniam, ut conservaret unionem. Vel hoc ipso noftræ inftructioni documentum relinquens: Nullum efficacius DEI inveniendi, ejusq́, gentibus manifeftandi medium, quàm concors plurium animus.

Matth: 17. Ut cæleftem gloriam manifeftaret difpulis Salvator adhuc in terris manens, affumpfit: *Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelfum.* Vix ineffabilibus ex illa vifione deliciis frui incipiunt, Petrusq́, fuum exponit defiderium: *Faciamus hîc tria tabernacula.* Eo ipfo tempore nubes descendens, circumfufos cælefti claritate Apoftolos, infperatâ obfufcat caligine, infignemq́, illius gloriæ fplendorem eorum fubducit oculis. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.* Ex quo facilè quisq́, inferre poteft, quòd ifte fermo Petri de tribus tabernaculis, privationem illius vifionis deliciofæ, quâ plures fruebantur, caufâffe videatur. Unde etiam à S. Evangelifta, ejus locutio redarguitur: *Non enim fciebat quid diceret.* Ex his.

Ima oritur reflexio, quam cautè utendum fit fermone; cùm unicum Petri dictum, tantorum bonorum videatur inducere privationem. Cur quæfo lingva, Pfal: 51. novaculæ acutæ comparetur? *Lingua tua, ficut novacula acuta.* Poteft quidem multiplex reddi ratio. Tum quia ficut novacula, tunc quando videtur hominem lambere, exornare, fæpisfimè cruento fecat vulnere; ita & lingva eò acutiùs vulnerat; quò magis blanditur & mulcet. Tum quia ficut novacula facilè quidem abradit

capillitium, denudat cutem, sed nescit in suum locum abrasa reducere; ita & lingva facilè plurium abradit famam, denudat defectus, vix tamen gnara modi, quo reparet læsa. Potissimùm tamen ex ea ratione, quia sicut novacula, dum non sentimus, capillos scindit, & à suo separat capite, ita & lingua, cùm minimè sentimus, multis & magnis nos privat bonis. Non sensit Petrus, & brevi sermone amisit, quam adamavit cælestem gloriam.

Ob unius delictum, in omnes pœna.

2da Reflexio: Unus Petrus loquitur, unus nesciebat quid diceret, & omnes paritèr Apostoli cælestibus privantur deliciis; ita sæpe fit, ut unius delicto, in omnes pœna prorogetur, uno peccante omnes puniantur. Inquirit S. Ambrosius lib: 4. in Luc. cap. 5. Cur in mari motus magnus oriretur? *Motus magnus factus est, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Et respondet: totam tanti motûs causam fuisse unum Iudam proditorem, dicens: *Hæc est causa periculi: Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas; quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Iudas adjungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Unius delicto, cunctorum merita quatiuntur; caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus.* Hucusq. S. D. Et certè sufficit si navis, unâ parte patiatur rimas: ut tota pereat. Sufficit si in uno ædium angulo scintilla ignescat, ut totius ædificii erumpat incendium. Pars non nisi pedum statuæ Nabuchodonosoris, fictilis erat, illâ tamen corruptâ, tota in favillam abiit moles. Gen: 1. Creans Dominus pisces maris, benedixit eis dicens. *Crescite & multiplicamini & replete aquas maris.* Iam verò productis animalibus, non tribuit eis benedictionem. quæ ratio? Anastasius Sinaita hanc assignat, dicens; *Privata sunt benedictione, quia in eis erat serpens, Evæ hostis, & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.* Ita propter unum, privantur omnes benedictione. Matth; 2. Cur stella disparuit, cùm Magi Civitatem Hierusalem ingrederentur?

cur illios non duxit ad Herodis palatium? Vix verò inde abierunt, *& ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usq; dum veniens staret supra, ubi erat puer.* S. Ambros: respondet: *Stella ab his videtur, & ubi Herodes est, non videtur, ubi Christus est, rursum videtur, & viam monstrat.* Ita unius impietate, multi cælesti privantur lumine. Iosue 7. Unus Achan deliquit, furtivè aliqua ex spoliis surripiendo, & totus Israel punitur; proinde Iosue lapidandum eum decernens dixit: *quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Antiquitùs in Græcia ea consvetudo servabatur, ut si aliqua Civitas ad infelicem deveniret statum, & aliquâ premeretur calamitate, aut hostium incursione, belloq; exagitaretur, vel fames, pestis, incendiumq; eam devastaret; rigorosa inquisitio instituebatur de singulorum Civium moribus, si autem aliquis convictus sceleratæ vitæ reperiretur; trahebatur in vinculis, existimantesq; Incolæ, illius hominis crimina tantarum caussam fuisse pœnarum, quæ unius delicto, in omnes prorogabantur, ligatus in mare vel stagnum projiciebatur ac mergebatur, adjectâ communi omnium voce: *sis pro nobis peripsema, sis pro nobis piaculum, sis lotio nostra.*

3tia Reflexio. Petrus mansiones ædificare intendit, de quiete & fruitione cælestis gloriæ cogitat; labores verò & merita non præmisit, ut itaq; doceretur: nulli cælum absq; ejus merito dandum: privatur, quo diutiùs frui voluerat. Audiamus Angelicum Doctorem in hunc locum dicentem: *Falleris graviter, falleris o Pastor Ecclesiæ! priùs condendum est evangelium, prius humanum genus cruoris effusione redimendum est, priùs te alius cinget, & ducet quò tu non vis, quàm hoc gaudio potiaris. Itane sine certamine victor, sine victoria triumphator evades? quid rerum ordinem pervertis? quid meritis præmia præponis?* Tandem omissis aliis reflexionibus, Origenes ad propositum nostrum rectè tangit difficultatem. In monte Thabor omnes illæ Personæ simul aderant, mutuo aspectu & communi lætitiâ conjunctæ, nec loco separatæ, nec ab usu felicitatis divisæ. Petrus autem tribus tabernaculis eos

Divisio privat cælesti gloria.

sejungere in tres partes voluit; idcirco quia malè argumentabatur à conjunctis ad divisa: *Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Nubes lucida obumbravit eos, omniq; privavit cælestis gloriæ solatio. Unde sic Origenes in cap: 17. Matth: ait: *Promittit se facere tria tabernacula, unum privatim IESU, alterum Moysi, aliud Eliæ, quasi non eos capiente tabernaculo, in quo omnes simul consistere deberent; forsitan & in hoc malitiosè operabatur diabolus per eum, qui nesciebat quid loquebatur, nolens esse simul IESUm, Moysen & Eliam, sed separare eos abinvicem trium tabernaculorum obtentu, quod fieri non poterat.* Quamdiu ergo Apostoli erant simul conjuncti, tamdiu cælesti gloriâ, ejusq; deliciis perfruebantur; inductâ verò mentione divisionis, omnia disparuerunt; ut hinc pateat, nullam esse securiorem viam ad inquirendam & obtinendam cælestem Beatitudinem, vultûsq; Divini fruitionem, quàm animorum concordiam.

Gen: 1. Cur DEUS productas à se creaturas separatim videndo, illas bonas tantùm nominavit? Produxit lucem: fiat lux, & vidit DEUS, quòd esset bona. Item aquas, plantas &c. & de singulis testatur Sacer textus, vidisse DEUm, quòd esset bonum. In fine autem sextæ diei videns omnia simul opera creata, illaq; celebrans, non solùm ea bona, sed valde bona judicavit: *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Num illis aliquid bonitatis accessit; ultimâ illâ die? minimè. Sed quia creaturas DEUS antea seorsim vidit ac divisim, unam, ab altera distinctam, ideoq; solùm bonas simpliciter appellavit. Sexto verò die, siquidem omnes simul Divinis sunt objectæ oculis; proinde valde bonas pronuntiat. Demus Aurem Hipponensi Præsuli Augustino, qui lib: de bon: vid: c. 6. ait: *Ubi omnia nominata sunt, additum est valde bona, meliora sunt simul omnia, quàm quælibet singula.* Et concludit S. Hieron. in regul: Monach: ad Paul. & Eust: *Omne Secundùm Philosopos, tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio mundi, vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* *O Sanctam unitatem! O Beatam concordiam!* Addit S.

Unio laudabilis.

Tho-

S. Thomas à villa nova: *Quid jucundiùs quàm concordia? quid molestiùs, quàm discordia?* Hinc Severus Imperator morti proximus inde potissimùm gloriabatur, quòd concordiam in imperio stabilivisset, dicens: *Rempublicam accepi ubiq; turbatam, pacatam etiam Britannis relinquo.*

Plutarchus in præcept: polit: refert: quòd Leo Bizantius Athenas Ablegatus ivit, pacis ineundæ consilia cum Civibus promoturus. Hic staturæ exiguæ, cùm senatum peroraturus intraret, omnes conspecto tam pusillo homine, solvuntur in risum. Quid, ait Leo, meæ staturæ exilitatem ridetis? Quid faceretis? si uxor mea longè minor in vestrum prodiret conspectum, quæ vertice, vix mea tangit genua: scitote autem, quòd concordes unica sedes, at discordes nec tota domus capit, unumq; ex nobis exire necessum est. Ex ea relatione didicêre Cives, quàm utilis sit concordia, noxia vero discordia, & reconciliati sunt. Idem & nos faciamus, oportet, si una domo cælesti concludi exoptamus. *In simplicitate*, sine divisione *cordis quærite illum.* *discordia suis ædibus pellit.*

Unde D. Anselmus lib: de similit: c. 63. ut nos ad servandam in terris animaret unionem, sub tali similitudine cælestium Incolarum nobis proponit collectas in unum voluntates; dicens: *sicut oculus unus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic Societas illa Iustorum, nihil poterit velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebit.*

Ioan: 17 Progressurus ad passionem Salvator noster, advertamus quid ardenti oratione imploret à Patre æterno? *Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi:* Ut autem sub Divina protectione semper conservemur, expendamus quod medium ad id consequendum assignet? Ut scilicet simus unum sicut ipse filius æternus est unum cum Patre: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Quid est? quòd Christus non petat talem unitatem, prout est inter corpus & animam, prout est inter naturam humanam & Personam VERBI, sed dicit: *ut sint unum*

Unio animorum absq; dissensione.

sicut & nos. S. Cyrill: Ierosol: lib: 11. c. 20. ait: *Rogo Pater ut sint unius voluntatis,* sicut & nos sumus. Magna quidem est unio Corporis cum anima, sed quia diversa sentiunt corpus & anima juxta illud Rom: 7. *Vidi aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ;* ideo non talem rogat Christus, sed quæ nullius dissensionis capax videatur: ut sint unius moris in domo. Hinc jam non miror quòd Divinissimus Spiritus, non in pluralitate cordium, sed in linguis dispertitis descenderit in Apostolos. Quamvis enim plures linguæ ad prædicandum diversis gentibus Evangelium fuerint necessariæ, unum tamen omnium cor esse debuerat.

Congregati Apostoli merentur videre Christum.

Ioan: 20. Videamus tandem quandonam Apostoli meruerint post resurrectionem, videre Christum, ejusq; conspectu frui. En refert Evangelista: *Cùm serò esset die illo, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, tunc venit IESUS, & stetit in medio eorum.* Non dispersis in diversa discipulis, sed ubi congregati erant, ac in unum collecti, apparuit Christus; ut palam esset, illos Divinum mereri conspectum, à quibus in unitate cordis, & indivisibili animorum consensu requiritur. Concludat hanc annotationem D. Chrysost: effatum: *Ubi concordia, inquit, non est, nec oratio exauditur, nec oblatio suscipitur; quia nec ibi DEUS est, ubi discordia dominatur.*

ANNOTATIO 5ta.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM.

Singularitas impedit in quærendo DEO.

COmmendat Sapiens unitatem cordis, ita tamen ut pluralitatem non excludat, quasi dicens: simplex quidem animus, & cordis sensus adsit, singularitas tamen haud locum inter vos inveniat. Uno quidem corde, sed omnes communi quærite illum. Singularitates

procul

procul absint. Nempe informare nos voluit, quòd sicut ad inquirendum DEUM màximè juvet unanimitas, ita impediat singularitas. Non rectâ ad DEUm progreditur viâ, qui communem vitam fugiens, singularis esse desiderat.

Apud Lacedemones, ut refert Pausan. in Lacon. in maximo odio habebantur res inusitatæ, adversantesq; introductæ à longa annorum serié in Rempublicam consuetudini. Ubi inter alias leges, & hæc numerabatur, ne cythara pluribus quàm septem fidibus instructa induceretur in Regnum, emendaq; proponeretur. Cum autem Timotheus Milesius præclarus Cythareda, quatuor chordas supra præscriptum lege numerum addiderit, & contra antiquam consuetudinem concentum Musicæ mutaverit; plurimùm totam Rempublicam offensam invenit, quæ illius cytharam in patibulo suspendendam, illum verò ipsum civitate pellendum decrevit. Ita ingratus est, tum cytharæ, tum morum concentus, qui à communi omnium discrepat lege.

novitates puniuntur.

Ioan. 13. Quid est? quòd Magister omnium Christus lavans pedes Apostolorum, cum accessisset ad Petrum, ille verò stupore demissionis Divinæ abreptus, suiq; humiliatione incitatus. renuisset sibi lavari pedes: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Non solum Petrum ita humilem non laudat, sed etiam minatur eidem pœnas, à suiq; consortio excludendum denuntiat: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Variæ hujus afferri possunt rationes, deduciq; reflexiones.

Cur Petrus reprehenditur, quod sibi pedes lavari non patiatur?

Ima: quia lotio illa præcedebat usum Eucharistiæ, ad quam Petrus non lotus accedere voluit. Arguebat itaq; illum Salvator, ut nobis innotesceret: priùs nos esse lavandos, antequam ad hunc Angelorum cibum accesserimus. Nullam is habet partem cum DEO, qui non emundato corde, tremendæ huic mensæ accumbit. Ad lavacrum priùs pœnitentiæ accedere emundandus debet; qui salubrem sibi Eucharisticum cibum esse contendit. Matth. 14. Magno Christi desiderio flagrans Petrus exclamat; *Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas.* Quare Petrus non aliam viam eligit ad Christum, sed solùm per aquas.

Ad Eucharistiam mundo corde accedendum.

Nemo scilicet securior gratiæ, ad Christum accedit, quàm per salutaris aquæ emundationem. Vix aliquantùm Petrus processit, mergi cæpit in aquis, invocans auxilium Christi: *Domine salvum me fac.* Cur quæso permisit Dominus, ut priùs aquæ immergeretur Petrus, antequàm ad illius amplexum pervenisset? Audiamus D. Chrysost: qui hanc ejus permissionis rationem assignat: *Ut lavaret aqua, quod trina sordidaverat negatio.* Emundari prius macula negationis debuerat, antequàm Petrus ad Christum accessisset. Lucæ 21. Interrogant Apostoli: Ubinam Pascha vellet parari? respondet Christus: quò inferetur amphora aquæ. Addit Venerab. Beda: *Ubi infertur amphora aquæ ad lavandas labes.* Lucæ 17. Unus ex leprosis ut vidit quia mundatus est, regressus est ad IESUM; non priùs regressus, quàm ubi vidit, quia mundatus est. Concludit hanc reflexionem D. August: *Quàm temerarium, quàmq; nefarium est, cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare filium! cujus mens non raperetur in excessum? ubi mundi pretium, mittitur in sterquilinium: non enim minus est detestabile, in os pollutum, quàm in lutum mittere DEI Filium.*

2da ratio ac reflexio: quia tunc Petrus magis suo, quàm Divino videbatur regi consilio: suam potiùs, quàm Christi sequebatur voluntatem. Ad partem DEI se spectare, ne cogitet, cujus voluntas non conformatur Divinæ, Hinc D. Bern: serm: 3: de resurr: ait: *Quid odit aut punit DEUS, præter propriam Voluntatem? cesset Voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ille ignis desæviet, nisi in propriam Voluntatem?* Intermissis tamen aliis rationibus, hanc interim præcipuam esse puto: Venit Christus ad Andream, & lavit pedes ejus silentis, ac totum se voluntati Christi committentis; venit ad Ioannem & illum similiter tractabilem invenit; accessit ad alios, nullusq; illorum contradixit Christo. Solus Petrus reclamare cæpit: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* In quo quia singularis esse voluit, excludendum se de Christi collegio inaudiit; *Non habebis partem mecum.* Tacebant alii, alii humiliter offerebant lavandos pedes. Unus Petrus contradixit, solus,

Singularitas à Collegio Christi, exclusionē meretur.

solus Christum ad pedes admittendum negat; proinde tanquam singularitatis & exemptionis amans; á communitate removendus prædicitur, nisi singularitate contemptâ, communem vitæ normam sequeretur. Ita scilicet singularitates, exemptiones, removent à DEI consortio; *Non habebis partem mecum.*

Matth: 26. Christus accumbens mensæ in illa ultima cæna, significavit Apostolis, quòd illum unus de illis traditurus esset: *Amen dico vobis, quia unus vestrum, me traditurus est* Perterriti & mærore pleni Apostoli quivis separatim, audito Christi sermone, inquirere cæpit: Quisnam illorum proditor designaretur? *Contristati valde cæperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?* Duo hîc potissimùm digna consideratione. Imum est, quare singuli inquirunt separatim, & non omnes simul? cujus facilis est ratio ad nostram materiam: quia scilicet Apostoli nunquam sibi persuadere poterant, ut quis communem inter eos vitam ducens, ejusmodi factum aggredi auderet. Ille reus esse convincitur, qui singularis esse voluit: Cæperunt singuli dicere: nunquid ego? 2dum est dignum reflexione: Modus scilicet inquirendi; Nam Petrus dicit: *Nunquid ego Domine?* Ioannes supra pectus recumbens exclamat: *Nunquid ego sum Domine?* similiter cæteri eodem modo inquirunt: *Nunquid ego Domine?* Solus Iudas diversâ ab aliis oratione usus: *Nunquid ego sum Rabbi.* En schismaticum! en proditorem! non utitur communi aliorum interrogatione, singularis esse optavit, & proditor factus est. Perdidit non invenit Christum, qui à commni Apostolorum sermone dissensit.

Proditor Christi singularis esse voluit.

Suetonius narrat: quòd Tiberius Cæsar, cum ageret contra Monopolia in senatu, antequam hoc verbo inter Romanos inusitato: *Monopolium*, in sermone uteretur, assurrexit rogans potestatem eo utendi: *Monopolium nominaturus, priùs veniam postulavit, quod sibi verbo peregrino utendum esset.* Ita & à verbo abstinendum est quod novitatem inducit, & communi adversatur usui.

Proverb: 17 Multum salomon invehitur contra eos, qui neglectis conive-

consuetudinibus communitatis, quandam singularitatem inducunt; talemq; in illos torquet comminationem: *Qui exaltat ostium suum, quærit ruinam.* Lyranus legit: *qui exaltat os suum*; hoc est, qui pertinaciter suo adhæret sensui, alios verò ab alto erecti supercilii despicit, suum ostium exaltat, ut sublimiore progrediatur passu, nec communi contentus ostio, hic sibi ruinam parat. Cornelius à lapide hunc locum sacræ scripturæ expendens refert se Romæ audisse ab eximio Medicinæ Doctore, quod viginti octo annis, per varia claustra infirmorum curam habenti, nullo alio morbo affecti plures obtigissent sibi patientes pene incurabiles, quàm morbo singularitatis, qui scilicet in Religione, tam quoad victum, quàm quoad amictum, tam in existimatione aliorum, quàm in aliis prærogativis ambierint esse singulares, quod quia ipsis denegabatur, ad communemq; impellebantur vitam, mærore consumebantur. Unde talem aphorismum Doctor ille curandis hujusmodi morbis adjecit: *Optima morborum omnium, tam privatorum quàm communium medicina est; humilitas, & singularitatis odium.* Si autem ad conservandam Corporum Sanitatem fuga singularitatis tantùm confert, multò plura præstat ad animæ curandos morbos, vitæq; Sanctioris augmentum.

Morbus singularitatis incurabilis.

Ad Galatas 6. dignam notitiâ doctrinam proponit Gentium Doctor dicens: *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in Spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* S. Hieron: expendens hæc verba, quærit: *quare Apostolus dicens in carne, addidit in carne sua, jam verò dicens in Spiritu, non addit in spiritu suo?* Duplicis generis homines hîc describit S. Paulus; alios communi animatos Spiritu, alios singularitati dedicatos. Qui sequitur suæ carnis sensum, & propriam inclinationem, hic seminat in carne sua, nec aliam sperare debet messem, nisi corruptionis, ruinæ ac perditionis: *de carne & metet corruptionem.* Qui verò rectæ rationis consilio dirigitur, non proprio sed communi Spiritu animatur, communem aliis vitam amat, ille metet vitam æternam. Omnes turbationes evitabit, gratiam & DEI & homi-

Alii homines privato alii communi spiritu animantur.

hominum facilè consequetur. Audite S. Hieronymum: *Qui seminat in Spiritu non dicitur in spiritu suo, sed simpliciter in spiritu, qui enim bona seminat, non in suo quidpiam, sed in Spiritu DEI seminat.*

Apud Locrenses ea consuetudo retinetur, ut quicunq; in senatum aliquid novi ac singularis vellet inducere, non aliter illi hoc ipsum permittebatur proponendum, nisi collo funem imponeret, ut in casu, si aliis ejusmodi novitas displiceret, ille strangularetur. Similis apud Sinas mos viget; Ubi constituti sunt Præfecti novitatum, quibus ex officio incumbit tales investigare novatores, punireq; severiùs. *Singularitatis ac novitatum pœna.*

Matth: 26. Progressurus ad Passionem Christus, prædixit Apostolis: *Omnes vos scandalum patiemini in ista nocte.* Cæteri discipuli nihil ad hæc responderunt, solus Petrus ab ea universali eximi voluit, dicens: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Videamus quem exitum ejusmodi exceptio & singularitas habuit: En non solum cum aliis relicto Domino fugit, sed etiam quod nullus Apostolorum fecit, ille ter Christum negavit. *Petrus singularitate corruit.*

Ioan: 21. Memor Petrus quò illum abduxerat singularitas, omnibus viribus eam aversatur. Cùm enim quæreret Christus ex illo; utrum eum plus diligeret, quàm omnes alii Apostoli. Videns Petrus quò tenderet interrogatio Domini, singularitatem scilicet amoris ab eo exquirens: Nihil directè ad quæstionem respondit, Sed solum dixit: *Domine tu scis quia amo te.* Verùm non procedit quæstio Petre, utrum tu Dominum ames? sed utrum ames plus quàm alii? dilectione majore & singulariore. Petrus tamen ad hæc nihil reponit; quasi innuendo: Novi ego quid singularitas afferat; novi quantarum ruinarum sit origo: jam amplius singularis esse nolo: Nemo audiet de ore meo, quòd DEUm amem plus quàm alii, quòd sanctior sim aliis, constantior & Christo addictior aliis. Sufficit mihi quòd amem Dominum; ille verò solus judicet, quâ intensione extensioneq; charitatis in illum ferar. Quòd ipsum Salvator noster approbâsse videtur, cùm secundò repetens, ac tertiò suam interrogationem; nihil jam de excessu amoris innuens,

Donis DEI non intumescendũ, nonnisi simpliciter inquirit. *Simon Ioannis diligis me? Simon Ioannis amas me?* Eo nos docens exemplo: Etiamsi quispiam excellat inter alios, amore DEI, Sanctitate, sublimitate ingenii, talentorum raritate: ita tamen se gerere debet, tanquam minimus ex communitate esset. Non inde captare ostentationem, non jactantiam quærere, non cristas erigere, non cæteros alto despicere supercilio debet. Bene Ecclesiastes monet: *Noli esse justus multum.* Eccl: 7. hoc est: *noli venditare justitiam, divinis donis insolescere.*

Christiano sanè sensu Ethnicus licet Philosophus omnes instruit dicendo: *Intus omnia dissimilia sint, frons nostra cum populo conveniat.* Ea cujusq; sit cura, ut ejus vita non vulgaris habeatur in occulto; sed singularis non prodeat in publicum. Nam singularitas, etiam in prosequenda Probitatis semitâ, elationis artificium est, non virtutis meritum. Matth: 4. *Ductus est, IESUS à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo: & cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus &c:* Scimus Moysen & Eliam totidem dies & noctes jejunasse; cur quæso Christus productione ad plures dies, jejunii, superare antiquos illos hebrææ Sanctitatis Proceres noluit? Audiamus D. Chrysostomum hō: 13. in Matth: differentem: *Priùs Moyses & Elias, in hanc, jejunii longitudinem pervenire potuerunt. Nec tamen ultra progreditur Christus, ne scilicet rei admirandæ excessus:* ob singularitatem pariat admirationem. Eligit non excedere, & si poterat jejunium Moysis & Eliæ, ne singularitatis notam incurreret.

Lucæ 1. Ubi inaudiisset sacerrima Virgo Angelicam Salutationem, cæpit turbari: *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Quæ causa perturbationis in MARIA? Opportunè adducit eam Andreas Hierosolymitanus, dicens: *Turbata est in sermone ejus; quasi diceret: Num sola ego, inter mulieres novum naturæ modum inducam?* Nimirum timet MARIA, ne si Virgo & Mater sit, sit etiam Virgo singularis.

Sed jam concludat D. Bern: *Singularitas, novitas, est Mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* ANNO-

ANNOTATIO 6ta.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM

QUid est quòd Sapiens modum nonnisi inquirendi DEUm pro-
ponat? quomodo autem teneri, ac retineri debeat & possit?
nec insinuat. Ergone semper quæretur DEUs? nunquam verò inve-
nietur? nunquam tenebitur? Expendamus quid de hac re sentiat Magnus
Augustinus, qui lib: 15. de Trinit: c. 2. sic differit: *Si quæsitus inve-* *Semper re-*
niri potest, cur dictum est: quærite ejus faciem semper. Psal. 104, an & invē- *stat quærē-*
tus quærendus est? & paulo post respondet: *Quæritur inveniendus, &* *dus DEUS.*
invenitur quærendus, tam magnum & incomprehensibile bonum est; quod
& quæritur ut invēiatur dulciùs, & invēitur, ut quæratur avidiùs. Idē censet
D. Bernardus serm: 84 in cant: *Existimo: quia nec cùm inventus fuerit,*
cessabitur à quærendo: non extundit desiderium Sanctum, felix inventio,
sed extendit. Ex quibus talis potest deduci discursus: Illa ordinariè
quærimus, quæ aut periêre, aut non dum in manus & possessionem no-
stram pervenêre. Quis verò inventa quærit? possessa investigat? cur
itaq; ad quærendum semper DEUm etiam inventum excitamur? *in*
simplicitate cordis quærite illum. Nimirum voluit nos monere sapiens:
Nunquam in hac vita posse satis inveniri DEUm, & quantumcunq́, tenea-
tur, ac inveniatur à quopiam, semper tamen magis ac magis restat quæ- *Superest*
rendus; hoc est quantacunq́, sit Sanctitas & perfectio hominis in hac *semper in-*
vita, semper tamen superest, in quo se quisq́, magis perficiat. *quo se*
Genesis 1. recensens Moyses opera creationis variis diebus peracta, *quisq; per-*
finem cujusq; diei sic terminat: *Et factum est vespere & mane dies* *ficiat.*
unus. Hinc oritur difficultas inter Sanctos Patres: Undenam dies ini-
tium duxerit? utrum ab aurora, an ab umbra noctis? variè variis deciden-
tibus. Hugo lib. 1. de sacr. dicit: Imum diem non habuisse auroram
& mane, quod est terminus præcedentis noctis, sed fuisse statim claram

lucem, ideoq; illius diei prius fuisse vespere, posterius mane. Divus Hieronymus diem à nocte incepisse, & in altera nocte terminatum contendit in cap. 2. Ionæ. Stephanus Cantuariensis in hæc verba scribens dicit: Bene post vesperum sequitur mane; quia vespere significat perfectionem operis, mane autem inchoationem. Demonstrare voluit, quòd is, qui in operibus gratiæ, ad vesperam perfectionis pertigit ad mane redire tenetur, hoc est, ac si nihil processisset in virtutum stadio, aggressio earum illi repetenda est. Idem D. Leo sentit: *Quantumlibet*, inquiens, *quisq; justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quò probatior & perfectior esse possit.*

Proficiendum semper in virtute.

Matth: 18. Volens Christus Dominus Apostolos informare quomodo regnum cælorum obtinerent: pusione exili advocato, statuit eum in medio eorum dicens: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Unicum hic expendo: Cur potiùs non alium provectæ ætatis seniculum proposuit Salvator Apostolis in exemplum? sed pusionem. Nempe homines qui ad ætatem provectam ac senilem pervenerunt, haud ampliùs crescunt. Infantes autem & pueri continua sumunt augmenta. Christus ergo discipulos instruere voluit, quod is, qui in via Spirituali quotidie novos gradus perfectionis acquirendo non crescit, gloriâ cælesti indignus est. Ita viri Apostolici progredi debent in via Uirtutis, ut quantumcunq; Sancti fuerint, semper illis restet, in quo se magis perficiant. In hunc sensum Tertull. lib: 4. in Marcion. collimare videtur dicens: *Ecce Christus diligit parvulos, tales docens esse debere, qui semper majores esse velint.*

Cant: 2. Cælestis Sponsus invitat Sponsam: *Surge, propera; Amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni.* S. Bernardus in hunc locum scribit: *Cui dicitur veni, nondum pervenerat: sed quomodo nondum pervenerat, quæ sponso tam formosa erat? Venire scriptura ‑ Authori nihil aliud est, quam augescere Virtutibus, & quò plus quis progreditur, in curriculo Sanctitatis, eò major fit ad animæ pulchritudinem accessio.*

Mat-

Matth: 5. MIRAM à nobis Christus exigit perfectionem, præcipiens omnibus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Quis unquam hominum perfectionem DEI æquabit? Unde Paschasius admirabundus inquirit: Quomodo mortalis nostrum quispiam tam perfectus poterit esse, sicut DEUs Pater perfectus est? Et certè cùm perfectio Divina sit infinita, nostræ verò operationes ad infinitudinem eluctari nequeunt; quomodo possibile est ut eam attingamus virtutum ac meritorum perfectionem, quæ Divinæ assimilari valeat. Ut tamen aliquantùm præsens difficultas facilitetur, revocemus in memoriam ex Philosophiâ, quidnam sit infinitū? Infinitum est illud cujus partes accipientibus, semper restant aliæ & aliæ accipiendæ. Christus itaq; dicens: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: docuit semper esse in perfectione crescendum, quò enim major attingitur perfectio, eò majorem acquirendam superesse insinuavit.

Augmenta perfectionis majora semper.

Psalm: 91. Cur Iustus comparatur Palmæ? *Iustus ut palma florebit.* Possunt plures reddi rationes. Tum quia idem Iusto servit, quod palmæ adscribitur: *In I nata resurgit.* Tum quia sicut palma, Iustus sub onere non frangitur, sed crescit. Tum quia secundùm Hugonem Victorinum. *Iusti conversatio tanquam palma, plus finiendo peragit, quā inchoādo proposuit.* Illa tamen ratio sufficiet, quam S. Geminianus ser: 35. affert; dicens hanc palmæ proprietatem esse, quòd *eò fructuosior sit, quò annosior.* Ita servus DEI, nunquam cessare debet à fructuum Spiritualium augmentis.

S. Matthæus c. 17. referens Petri verba: *Bonum nos hîc esse*, notam illi appingit: *Nesciebat quid diceret.* quare? audiamus Theophylactum: *Non est dicendum cum Petro, bonum est nos hîc esse, oportet semper proficere, & non permanere in uno gradu Virtutis, sed ad majora transire.*



SECUNDUS VERSUS.

PRIMI CAPITIS SAPIENTIÆ

QUONIAM INVENITUR AB HIS, QUI NON TENTANT ILLUM: APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT IN ILLUM.

EXPOSITIO SS: PATRUM.

QUoniam invenitur ab his, qui non tentant illum. S. Hieronymus lib: 2. in cap. 8. Zachar: legit: *Appropinquat Dominus his, qui non tentant eum*: Arabicus verò: *Inveniatur ab his qui non contristant eum.* Tamdem à Castro apud Cornelium à lapide, dicit rationem hîc reddi ejus, quod dictum est: Dominum simplici corde & sincero animo quærendum, ac maximè fideli, credendo absq; dubitatione ullâ, quod possit sciat, velitq; largiri, quod postulatur. Nam qui accedunt ad eum diffidentes, potiùs exploraturi ejus Potentiam, Sapientiam & Bonitatem, quòd de ea dubitent, vel non habeant illam compertam, hi tentant DEUM, & non solùm non invenient, quod quærunt, sed tanquam DEO contumeliosi longiùs repellentur.

Apparet autem eis, qui fidem habent in illum: S. Hieronymus loco citato habet: *Ostendit faciem suam, qui non sunt increduli.* Vatablus legit. *Iis, qui non diffidunt ipsi, exhibet se.* Syrus. *Revelatur iis, qui credunt in illum.* Arabicus: *qui illum mendacem non efficiunt.* A Castro censet idem esse; sentire de Domino in bonitate, & simplici

corde

corde quærere illum, quod non tentare, ac fidem habere in illum. Sed Cornelius à lapide, rectè notat idem esse in ampliori acceptione: quòad eundem finem, quem ista omnia spectant; non tamen in acceptione propriâ & rigorosâ.

RESOLVTIO.

OCCURRENTIUM DIFFICULTATUM.

PLurima hic difficultatem pariunt; quæ resolvi petunt. Et imprimis ex occasione illius verbi: *qui non tentant illum.* oritur quæstio multiplex. Imo quid sit tentatio? 2do, Undenam proveniant tentationes? 3tio an tentatio sit peccatum? 4to Utrum appetenda sit tentatio propter fructus, quos parit ejus victoria? 5to Cur DEUS permittat & velit nos tentari? 6to tandem quomodo DEUS tentatur & tentari possit? Deinde ex altero textu: *Apparet iis, qui fidem habent in illum.* potest oriri dubium Imo, quomodo hic locus sacræ scripturæ, non pugnet cum illo, ubi describitur Christus apparere Thomæ, quamvis incredulus fuerit. 2do Qui sunt dicendi fidem habere in DEUM? 3tio quot modis DEUS apparet quærentibus se?

QUANTUM ad Imum.

Quid Tentatio?

Tentare genericè dictum nihil aliud est, quàm experiri, seu experimentum sumere de aliquo. Sic Magister dicitur tentare discipulum, ut experimentum sumat, ejus disciplinæ ac artis, quam profitetur. Hinc apud

apud Aristotelem Syllogismus tentativus est ille, quo aliquis explorat Scientiam alterius, vel secretum, quod ignorabat. In quo sensu Matth: 16. dicitur: *Pharisæi & Saducæi accesserunt ad JESUM tentantes, & signum de cælo petentes.* A Theologis definitur Tentatio propriè talis, quòd sit Inclinatio Voluntatis creatæ ad violationem alicujus præcepti, ortum ex propositione alicujus objecti boni vel mali sensibilis, tum ab interna corruptione concupiscentiæ, ejusq; rebellione.

Quid tentatio?

QUANTUM ad 2dum.

Unde proveniant Tentationes?

Certum esse videtur imprimis, quòd possit provenire tentatio hominis ab ipso DEO, juxta illud Deut: 13. *Tentat vos Dominus DEUS vester ut palam faciat, utrùm diligatis eum, an non?* Sed hæc minùs propriè dicitur tentatio. Certùm videtur 2do. tentationes potissimùm provenire à dæmone: ut côstat tum ex eo Act: 5 *Cur tentavit Satanas cor tuũ, mentiri te Spiritui S.* tum ex eo Matth: 4. *Tunc JESUS ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Ubi S. Hilar: ait: *In Sanctificatis maximè diaboli tentamenta grassantur: quia victoria ei est magis exoptata de Sanctis.* Et S. Ioan: Chrysost: in cap: 4. Matth; *Diabolus quantùm ad se, nunquam cessaret tentans, nec enim habet aliũ actum, non manducat, non bibit, non dormit, nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc est gaudiũ.* 3tio dicimur etiam tentari à mũdo quatenus in homine cupiditas excitatur alicujus rei earũ, quæ sunt in hoc mundo, prout sunt bona fortunæ, honores, divitiæ, gloria, bona corporis &c: 4to provenit tentatio à carne juxta illud Iacobi 1. *Unusquisq; verò tentatur à côcupiscentia sua abstractus & illectus.* Et ad Galat: 5. *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem,* Ubi nomine carnis non istud corpus sensibile secundùm se, sed anima habens facultates organo sensûs affixas, intelligenda est. Proinde tentatio carnis, seu animæ corporeis facultatibus alligatæ nihil aliud est, nisi quædam vis irascendi & concupiscendi inordinata, contra aut præter imperium rationis. Inter tentationes istas

Unde tentatio?

discri-

discrimen sumendum est non ex objecto materiali quia tentationes tam à DEO, quàm à dæmone provenientes possunt convenire in materia; potissimùm itaq; discriminandæ sunt ex duplici capite. 1mò ex fine ac intentione: quia DEUS semper tentat ad bonum; ut scilicet ejus, qui tentatur virtus innotescat, vel ut ipse tentatus eruditatur, & in sui cognitione perficiatur. Dæmonis verò mala mens est, & malus animus, quia semper ad peccatum sollicitat. 2do ex eventu: quia ex DEI tentatione, semper sequitur bonus eventus, & non aliquod malum; juxta illud Iacobi 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tẽtatur; DEUS enim intentator malorum est.*

QUANTUM ad 3tium.

An Tentatio sit peccatum hominis, qui tentatur?

An tentatio sit peccatum?

Certum imprimis est tentationem procedentem à dæmone aut aliquo adversario externo; non esse peccatum: quia cum tota illa exteriùs per solam suggestionem fiat, potest manere cor tranquillum & illæsum, nihil obstante suggestione adversarii. Iam verò carnis & mundi tentatio, quæ fit per passiones etiam nobis invitis insurgentes, includitq; virium inferiorum rebellionem; excitat item desideria ac appetitiones illicitas, seu delectationem in homine, dicitur esse quoddam peccatum; non tamen tale, per quod homo constituatur reus, atq; inimicus coram DEO; non est enim in potestate hominis positum, ne unquam tentetur. Sed dicitur peccatum, id est defectus quidam naturæ, & rebellio virium inferiorum, contra rectam rationem. Si tamen accesserit consensus hominis cum plena advertentia, contrahetur peccatum.

QUANTUM ad 4tum.

An appetenda sit homini tentatio?

An tentatio optanda?

Etiamsi tentatio ut conjuncta victoria, posset appeti ratione victoriæ tamen magis congruum censeo, magisq; expedire ut quisq; potiùs fugiat, quàm optet & appetat tentationem. Cujus multiplex est ratio 1mò quia non potest id prudenter appeti, quod Magister noster Christus docuit nos deprecari in oratione Dominica, ubi dicitur: *Et ne nos indu-*

inducas in tentationem. Item Matth. 6. & alibi: *Orate ut non intretis in tentationem.* 2do quia Apostolus docet fugiendas esse tentationes Ephes: 4. *Nolite locum dare diabolo.* Et 1. Cor: 7. *Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* 3tio quia id quod dæmon vult, & cui semper intentus vigilat, debemus fugere. Atqui vult tentare nos, juxta illud Christi: *Ecce Satanas expetivit ut cribraret vos sicut triticum.* Ergo fugienda est tentatio. 4to quia tentatio quamvis possit esse utilis, siquidem tamen periculosa est, nec quidquam boni secundùm se importet, sed solùm ratione adjunctæ victoriæ, non potest appeti; quis enim prudenter vellet se exponere periculo? 5to quia tentatio dæmonis per se, seu inquantum est à tentatore, ad hominis tendit perniciem. Nec adversatur huic assertioni D. Iacobus ubi dicit: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis* Tum quia hoc loco S. Iacobus non loquitur de tentationibus propriè dictis, quas sustinere, non est gaudere, sed magis solicitum esse ac vigilantem, ut fortiùs illis resistatur. Tum quia hic per tentationes intelliguntur variæ tribulationes & adversitates, quarum victoria comparatur per patientiam, & de iis gaudium, est quædam victoria. Tum quia potiùs hoc sermone hortatur Sanctus ad sustinendas cum gaudio, ubi venerint, quod perfectio Christiana exigit; non verò ad petendas tentationes. Certe enim nec Apostoli se, sponte ingerebant in tentationes, sed eas si se obtulerint, *patienter ferebant & ibant gaudentes à conspectu concilii.*

QUANTUM ad 5tum

Cur tentatio permittatur?

Cur DEUS permittat variis tentationibus nos probari?

Plurimæ hujus rationes esse possunt, & quidem multùm conducentes ad erigendum animum nostrum in ocurrentibus tentationibus.

Ima Ratio est: quia frustra nobis datæ viderentur virtutes; Fidei, spei, Charitatis, Obedientiæ, Patientiæ &c: nisi per tentationes, earum eluceret exercitium. Sicut enim ensis ac alia arma nullo usu exercitata æruginem contrahunt, ita arma spiritualia, quæ Doctor Gentium ad

Ephes:

Ephes: 6. singulis tribuit Christianis, desuetudine pugnandi absumerentur in nobis. Hinc S. Bern: serm: 27. in cant: ait: *Stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera Virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis.* Item S. Ambr: serm: 14. in Psal: 118, ait: *Quid igitur fuit illa tentatio? nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosæ Virtutis, confessio plena victoriæ.*

2da Ratio permissæ tentationis est, ut discamus artem præliandi. Sicut enim Scipio Nasica Romanæ Iuventuti consulens, ne otio marcesceret, bellandiq; modum dedisceret, persuasit senatui non evertendam esse Carthaginem; ita Divina Sapientia nos inter tentationes vivere voluit, ut in eis vincendis exerceretur virtus hominis. Unde S. Paulus Hebr: 11. ait: (de servis DEI) *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.*

3tia Ratio quia deesset frequens Orationis studium, & imploratio Divini auxilii, si nulla adesset pugna, nullum certamen, quo cogimur recurrere ad DEUM. Scribit Manutius lib: 7. Apopht: Cùm accipiter insectaretur passerem, ita ut eum unguibus jam pressurus esset, non inveniendo viam effugii aliam, in sinum Xenocratis delapsus, refugium quæsivit, qui passerem protexit, & ne in prædam cederet, liberavit. *Multis passeribus meliores vos estis,* dicit Sapientia incarnata, ne itaq; præda fiamus avernalis insidiatoris, ad sinum Pietatis & Protectionis Divinæ confugere debemus. Narrat item Euseb: Nieremberg: in hist: nat: Psittacum hæc verba edoctum: *S: Thoma, ora pro nobis.* Postea à milvo abreptus, ubi de se actum esse videret, pro oportunitate periculi clamavit: *S. Thoma, ora pro nobis.* Res mira, unguibus ales dimisit prædam incolumem, & ipse raptor exanimis corruit; ita ardenti oratione hominum animæ, de ipsis dæmonum faucibus eripiuntur, ut S. Leo, testatur dicens: *Diabolus malitiâ nocendi avidus, dum irruit, ruit, dum capit, capitur.*

4ta ratio est ut homo in sui ac virium suarum notitiam deveniat;

Ita enim S. August: in Psal. 60. ratiocinatur: *Profectus noster per tentationem fit, nec quisquam sibi innotescit, nisi tentatus.* Unde Plutarch; in Alexand: refert, quòd tunc primùm Alexander Macedonum Rex, hominem se esse agnovit, cùm vulnus in corpore accepisset, coactus enim fateri: *Omnes me jurant Iovis esse filium, sed vulnus hominem me esse clamat.*

Ratio 5ta, ut tædio hujus vitæ, multis periculis ac tentationibus expositæ afficiamur; & ad Patriam cælestem aspiremus. Ita S. Greg. lib: 23. moral: c. 15. censet: *Pio DEI consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore, electorum vita turbetur: Via est vita præsens, quâ ad Patriam tendimus, & idcirco hic occulto judicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro Patria diligamus.*

6ta ratio, ut firmiùs radicentur in animis nostris virtutes, præsertim verò humilitas. Hic est D. Hieron: sensus, qui tom: 9. Ep 9. ait: *Christianæ militiæ est, infelicitatibus feliciter ampliari, pressuris adolescere & pressuras pubescendo calcare.* Idem in S. Antonio Abbate comprobatur, qui videns sibi expositum totum mundum laqueis ac tentationibus plenum, interrogavit: quis hos laqueos evitabit? & responsum ei: *Humilis.*

7ma ratio quandoq; DEUS tentationes permittit in pœnam peccatorum, præsertim autem in pœnam superbiæ. Cui rationi robur addit P. Rodericii relatio, qui scribit quòd Monachus quidam in bonis operibus multorum annorum, sibi complacendo, DEO permittente, graviter lapsus, & festivis dæmonum plausibus irrisus, qui eidem exprobrabant: *O monache! Monache, qui te ad cælos usq; efferebas, jam adusq; abyssi profundi prolapsus es. Disce ergo hodie; qui se exaltat humiliandum.*

8va ratio, ut nos DEUS per tantationem emundet à vitiis. Unde Rupertus expendens verba oseæ 5. *Effundam quasi aquam, iram meam*; quærit cur aquæ ira comparetur? & respondet: *Sicut aqua visibilis, mundare solet sordes corporeas, ita illa captivitas mundavit populi peccata.* Et D. Chrysost: hom: in Psal: 125. ait: *Quemadmodum semina opus habent imbribus, ita nos etiam lacrymis, & quemadmodum terræ*

opus

opus habet ut aretur & prof indatur, ita anima fidelis, pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur durities, ne nimiùm efferatur & exiliat. Quod ipsum Clemens Alexandr: lib: 1 pedag: c. 8. sub tali similitudine proponit: *Silvescit vitis, & in labruscas degenerat, nisi putetur, exorbitat homo, nisi flagelletur.* Tandem, Petrus Blesensis Epist: 31. dicit: *Flagellò pulvis excutitur, quem ad deformitatem iniquitas congessit.*

9na ratio ut diligentiores & excitatiores inveniamur in Divinis. Similes enim sumus illi pilæ, seu folli, cui additum lemma: *Concussus, surgo.* Nimirum hi folles verberibus volare discunt. Hinc S. Greg: lib: 29. moral: c. 15. ait: *Adversitas vitæ, dum asperitate sua Sanctos comprimit, valentiores reddit. Caro mollibus, anima duris nutritur.* Et: *mala quæ nos hîc premunt, ad DEUM ire compellunt.*

10ma ratio, ut DEUS nostram indolem experiatur. Sicut enim militia explorat militum robur, vires, animum, tolerantiam, fortitudinem, constantiam, quid quisq; vel pati possit, vel aggredi ausit; ita humana vita, quæ juxta Iob. 7. *Militia est super terram*, experimentum sumit de quovis homine, quid agere vel sustinere valeat; proinde septuaginta legunt: *tentatio est vita hominis.* Sic Lacedæmones, liberos suos, quorum experiuntur indolem, publicè verberibus affligunt, ipsi Patres illos adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, ac semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus.

11mam rationem affert Isaias c. 28. dicens: *Vexatio dat intellectum.* Seu tribulatio ut vocant Ascetici, aperit oculos homini, ut discat sapere, juxta illud Ierem: 31. *Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.*

12ma est: ut DEI virtus per nostram patientiam & tentationum victoriam elucescat. Scribit Cassianus Collat: 12. c. 13. quòd senex quidam singulari Sanctitate præditus, à multis infidelibus Alexandriæ, variis convitiis impetebatur, in quibus ille agninam quandam mansuetudinem & patientiam præferebat; miràq;, cordis quiete, & oris modestiâ

tacuit, licet pugnis cæderetur, exagitaretur verberibus: raptaretur &c. cùm autem illi per improperium oggereretur: Ecquænam tandem miracula JESUS Christus patrasset? Repo uit: *Miracula quæ fecit, sunt hæc: quòd ego eas, quas mihi irrogatus injurias patienter fero, & majores ferre paratus, neutiquam vobis indigner & irascar? neve passione aliquâ inordinatâ commovear?*

Tandem ultima sit ratio, ut per tentationes boni à malis discernantur. Sicut enim ventus paleas de area pellit, triticum relinquendo; Ignis scoriam excoquit, aurum expoliendo; ita tentatio justos puriores reddit, malos consumendo. Audiamus D. August: qui in Psal: 54. scribens, dicit: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere DEUm. Omnis malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Utinam verò qui nos modo exercent convertantur, & nobiscum exerceantur.* Item lib: 11. in Gen: c. 12, dicit de dæmone, quòd: *habeat cupiditatem nocendi; facultatem autem nonnisi quæ datur, vel ad subvertenda, ac perdenda vasa iræ; vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ.*

QUANTUM ad 6tum.

Quomodo DEUS tentatur?

Cornelius à lapide triplicem modum affert, quo homines tentant DEUM. Imo tentatur, inquit, DEUS infidelitate hominum, quando cum DEO agunt; tanquam cum idolo lapideo, mortuo, & sensûs experte, externis duntaxat ritibus ac ceremonialiter eum colendo. 2do tentatur DEUS dum ei ab hominibus sive verbo, sive etiam operibus denegatur Scientia, Potentia ac Providentia circa res humanas, & injustitiæ scelerumq; Vindicta; hoc est quando ita ducitur vita ab hominibus, quasi nunquam DEUS esset spectator actionum cujusq; aut nunquam punire & vindicare sive posset, sive vellet scelera, quæ perpetrantur. 3tio tentatur DEUS præfidentiâ in proprio ingenio, viribus, opibus, aut aliis talentis à DEO acceptis; ita, ut homines in illis, & non in DEO suam fiduciam reponant. Ex qua Cornelii explicatione constat: idem esse

tenta-

tentare DEUM, atq; cerimonialiter tantùm, & per exteriora nonnisi signa, non concordante cum iis animo, agere cum DEO. Item non credere suarum actionum spectatorem, Remuneratorem, vel Vindicem DEUM. Tandem plus sibi, quam DEO fidere.

Circa 2di textûs difficultatem Imam, quomodonam combinari debeat hic locus Sacræ scripturæ cum Evangelio? Varii sunt Authorum sensus: Aliqui enim, inter quos, est S. Gaudentius tract: de dedicat: contendit D. Thomam non fuisse incredulum, antequam illi Christus post suam resurrectionem apparuisset; quòd autem à Christo culpetur ut incredulus, non tam ad Thomam, quàm ad posteros referri debet. Alii verò censent Thomam partim fuisse credulum, partim incredulum; fuit credulus; quia credidit Christum fuisse Prophetam verum, ac virum Sanctum, promissumq; Messiam; incredulus verò; quia non credidit eum resurrexisse. Christus ergo apparuit ei quasi credulo, ut reliquum incredulitatis ab eo abstergeret. Cæterum facilè puto has scripturas conciliandas esse, cùm hic non dicatur, quòd his tantùm, qui fidem habent in illum, appareat, cum exclussione aliorum infidelium. Sæpe enim apparet etiam illis, qui non credunt in eum; imò de fide est quòd gratia DEI præveniat nostrum arbitrium, ita ut sine illa nihil, quod conducat ad salutem, efficere queat; consequenter nec priùs credere, quàm DEUS per suam gratiam ei appareat.

Quantùm ad 2dum, quinam dicendi habere fidem in DEUM? imprimis omnes illi, qui de eo orthodoxè sentiunt, amplectentes veram Catholicam Romanam Religionem. 2do, qui in eo spem ac fiduciam suam collocant. 3tio qui ejus mandatis fideliter obediunt, juxta illud Psalm: 77. *Ut ponant in DEO spem suam, & mandata ejus exquirant.* *Quis habet fidem in DEUm?*

Quantùm ad 3tium, multipliciter solet apparere DEUS. imò in creaturis apparet, in quibus tanquam suis operibus relucet, juxta illud: *cæli enarrant gloriam DEI.* Psal: 18. 2do in Sacra scriptura, maximè cui ejus intelligentia communicatur. 3tio in sua Ecclesia, in qua do- *Quomodo apparet DEUS?*

centur omnia, quæ ad DEUM, cultumq; DEI ſpectant. 4to apparet in oratione per illuſtrationes & pias affectiones &c: &c:

ANNOTATIONES.

DUos textus prædictus verſus complectitur, quorum Imus eſt: *Quoniam invenitur ab his, qui non tentant eum.* Variæ ex hac Sententia poſſent duci Annotationes, quæ potiſſimùm erui debent ex combinatione, ac explicatione tum verborum, tum rerum. Sit itaq;

ANNOTATIO Ima.

QUONIAM INVENITUR Ab His, QUI NON TENTANT ILLUM.

PLures quærunt DEUM, ſed non omnes inveniunt eum. Felix ille quærendi modus, quo ad ipſius Numinis poſſeſſionem deducimur. Quod itaq; medium? quæ ars inveniendi DEUM? quærere non tentare debet, non experimentum velle ſumere, qui conſequi DEUM in votis habet. Experientia in humanis notitiam & prudentiam addit, in Divinis, minuit non auget ſcientiam. Ille perfectiùs tenet DEUM, & plura de DEO novit, qui ſagaci ingenio in perſcrutandis Divinis, minùs indulget. *Vis ſcire naturam DEI?* exclamat Auguſtinus, *hoc ſcito, quòd neſcias.* Eximium Sapientiæ genus eſt, in perſcrutandis myſteriis Divinis, minùs ſapere, Circa DEUM qui multa noſſe deſiderat, bona voluntate, non ingenio certet, neceſſum eſt.

Voluntate non ingenio notitia DEI acquiritur.

Attenuat oculi aciem, lædit viſum, qui aperto oculo ſerenum ſpectare ſolem contendit, lacrymiſq; ſuam priùs eluere curioſitatem debebit, quàm pleno obtutu perceperit radiantis lumina ſolis.

Pro-

Proverb: 25. tali similitudine id exprimit Sapiens dicens: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Hinc S. Aug: ad Frat: serm: 15. monens; ne mens humana evolet ad discutienda Divina, à minori ad majus argumentatur, usus exemplo Philosophi Aristodeni, qui multis annis, in natura apis investiganda frustra insudavit. *Quid igitur* inquit, *mirum in scrutansi Divinam naturam diu investigemus, nec unquam assequamur?* Et addit: *Nolite ergo fratres loqui sublimia, nolite sapere plùs quàm oportet sapere. In die enim judicii non damnabuntur Christiani, quià naturam DEI scire non potuerunt, sed quia DEO obedire neglexerunt. Ideo scitote fratres quòd melius est piè confiteri ignorantiam, quàm temerè Scientiam venditare.* Et serm: 1. in fest SSmæ Trinitatis ait: *Nescio, & liberè me nescire profiteor. In hoc Christianus sum, qui unum DEUM in Trinitate profiteor.* *Curiositas in scrutandis Divinis cavenda.*

Scribit Tullius lib: 1. de natura Deorum, quòd Hiero Rex Syracusanus cum inquisiisset à Simonide Philosopho: *quidnam aut qualis esset DEUS?* deliberationi dandum diem postulavit: Cum verò idem postridie ab eo quæreretur: biduum petiit, sed neq; his contentus, plures dies rogat, hæc miranti Hieroni, respondit: *Quantò diutiùs cogito, tantò mihi res videtur obscurior.* Unde Epictetus interrogatus: *quid est DEUS?* dixit: *Si eum omnino declararem, vel ego DEUS essem vel ille DEUS non esset.*

Eunomius Episcopus hæreticus superbus jactabat se ita nosse DEUM, Sicut seipsum DEUS novit, quem ut confunderet S. Basilius ad formicam remisit, cujus scilicet naturam ignorabat. Epist: 168. *Dicat formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ in natura sunt, scientiam cum fastu se prædicet assecutum.*

Psalm: 8 Cur Vates coronatus contemplatione Divinorum abstractus, solum DEI nomen miratur exclamans: *Domine Dominus noster quàm admirabile est Nomen tuum in universa terra.* Si DEUM laudare voluerat, mirabilia potiús opera ejus, quàm nomen in medium, profe-

renda erant, extollenda Omnipotentia, prædicanda Sapientia, adoranda immensa Majestas, encomiis cumulanda Misericordia ac Liberalitas. Ille verò Nomen duntaxat Divinum admirabile prædicat.

Ima ratio potest esse, quia ejusmodi panegyri voluit nos instruere Psaltes, quòd non tam illa nos ad laudandum DEUM, movere debeant, quæ in nostrum bonum & utilitatem operatur; sed causa laudandi DEI, ipse DEUS, ejusq, Nomen esse debet. Ita Christus instituit Apostolos suos dicens: *Euntes docete in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* In raptu quodam S. Mar. Magd: de Pazis exhibuit DEUS S. Ioannem Evangelistam, seq; in anima ejus singulariter oblectantem, eò quòd anima illa, omnia operata sit ex solo DEI amore, & ex eodem Animas ad suum Creatorem duxerit.

2da adversio: admirabile Nomen DEI prædicat Propheta in universa terra, minus enim esset ad laudandum DEUM, si ejus Nomen, in aliqua tantùm Orbis parte celebraretur, sed cùm universa terra consentiat in attollendo ejus Nomine, eximium est, nec inconveniens DEO, laudandi eum, genus. Intermissis tamen aliis reflexionibus, quid D. Chrysost: in eundem Psalm: scribens sentiat? audiamus: Ubi sunt, inquit, *qui DEI naturam curiosè pervestigant? si enim cùm Nomen ejus dixisset, adeò admiratus est, ut obstupesceret: quomodo venia eis dabitur? qui se dicunt nosse DEI essentiam, cùm Propheta, nec quàm admirabile sit ejus Nomen cognoscere potuerit.* Et certè si Aristoteles curiosiùs motum Euripi investigare volens, in profundum ejus se præcipitem dedit, submersusq; periit; quanta expectant pericula Divinam scrutari cupientes Majestatem.

Thales Milesius mediâ nocte consistens in platea, erecto capite, oculis fixis, mente compositâ, Cælum serenum contemplabatur, ut curiositate ductus disceret planetarum dispositionem, numerumq, stellarum. Et dum observationi Constellationum diutiùs intenderet, aliquantùm procedens, in fossam incauto passu, non sine suo damno, cecidit. Hinc, ab eliberatore sui, edoctus, quantò meliùs ruinam suam prævideret

quàm

quàm ſublimia indagaret, ſimulq; debitâ reprehenſione admonitus: *Bene apparet o Thales! te cerebrum aliò deſtinâſſe: curioſiùs ſpectas cælum, nec vides pericula, quæ tibi in terra imminent.*

Pſalm: 17. Cur David referat de DEO: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Utiq; DEUS lucem habitat inacceſſibilem ut Doctor Gentium teſtatur 1. Timoth: 6. quare ergo tenebras inhabitare dicitur? quid lux cum tenebris? tenebræ cum luce, commune habent. S. Greg: Nazian: ſolvit difficultatem dicens: *quamvis propter infinitam Entitatem ſplendidiſſima lux ſit, tamen ob ejus incomprehenſibilitatem, tenebræ appellatur; & quamvis ejus domus, ſi magnificentia ſpectetur, auguſtiſſimum ſit palatium; tamen ſi ignorantia, quæ de illo habetur, attendatur, occultiſſimum ac penitiſſimum latibulum videtur.* Idem in Apologetico dicit: *Quantùm DEUS percipitur, tantundem ſe ſubducit: amātesq; ſui, ex eo quòd fugit, ac veluti jam comprehenſus, ſe proripit, ad ſuperna illicit.* *Incomprehenſibilis DEUS.*

Pſalm: 115. Ubi prophetico illuſtratus lumine David, incomprehenſibilem DEI ſublimitatem admirabundus conſiderare cæpit, ſtatim ſuam humilitatem multò clariùs, quàm antea perſpexit: *Credidi*, inquit: *propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.*

In quem locum D. Chryſoſt: *Quisquis indicibilem DEI Majeſtatem oculo cordis contemplatur, & cognoſcit DEUM, homine, tantò ſublimiorem, quantò cælum formicâ ſublimius: nihil mirum ſi obſtupeſcat intra ſe, & dicat: Ego humiliatus ſum nimis. Unde & Abraham in comparatione DEI, terram ſe eſſe & cinerem dicebat.* Ex quo deducitur utiliſſimam eſſe Scientiam, de DEO, ſcire id, quòd à nobis DEUS ſciri nequeat.

Iſaiæ 6. Vidit propheta ante DEUM ſeraphim ſtare & volare: D. Cyprianus ait: *Inacceſſibilem naturam, hinc & inde ſeraphim ſtatu & volatu circumeunt: ſtatu immobilitatem æternitatis monſtrantes: volatu verò altitudinem ejus ſic elevatam, ut quantumlibet ad cor altum, homo aſcendat, exaltetur DEUS, & comprehenſionis importunitatem evadat.*

Exodi 2. Cum apparuerit DEUS Moysi in flamma Ignis, de medio rubi, Moyses abscondit faciem suam: non enim audebat aspicere contra DEUM. Antè Moyses audaciùs progrediebatur ad videndum ardentem rubum: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Cùm verò didicisset DEUM ibi esse, abscondit caput & oculos; quasi innuens frustra hic perspicacia oculorum fatigatur, frustra erigitur caput, ubi DEUS cognoscendus occurrit: illa clarissima erit visio, nihil videre, illa cognitio ac Scientia subtilissima, & elevatissima, scire, me nihil scire. Idem spectandū proponitur in Angelis apud Isaiam, qui duabus alis velabāt caput & pedes, & duabꝰ volabant, à pectore duntaxat suas āovebant alas, non pectus, sed Caput tegebant; ostendendo quòd DEUS captū creati Intellectûs superet suâ celsitudine, cæcutitq; omnis ratio in eo comprehendendo, nec ad ejus cognitionem evolare, sed submitti debet Intellectus. Nunquam mens humana tutiùs de DEO discurrit, quàm dum nihil sagacitati ingenii indulgendo, totum pectus intendit in amorem.

ANNOTATIO 2da.

QUONIAM INVENITUR Ab His, QUI NON TENTANT EUM.

MOnet Sapiens quânam ratione procedendum nobis cum DEO; Facilè enim DEUS nobis occurrit, si eum sincerè quæsiêrimus nullaq; impedimenta illi posuerimus. Modus noster cum DEO agendi, normam dat eidem, nobiscum procedendi. Et talem se DEUS exhibet homini, qualis fuerit homo erga DEUM.

Assimilat se DEUS hominis erga se propensioni.

Pulchrâ id similitudine illustrat Agapitus Diaconus, dicens: Sicuti exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa; nitidas videlicet nitentium, tristes autem tristantium, eodem pacto justum DEI judicium, nostris actionibus assimilatur; qualia enim

sunt

sunt, quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.

Sanctus verò Greg: Niss: hom: 3. in cant: rem tali similitudine exponit: Idem unguentum si fuerit appositum scarabæo & columbæ, non idem efficit in utrisq; sed columba per bonum unguenti halitum fit robustior, interit autem scarabæus. Quod ipsum rectè accommodat D. August: ad homines, dicens: remansit cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum. Et Sanctus Senetio de Infante DEO canit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Luc: 2. Et certè eodem solis calore, docet experientia linum & ceram albescere, vultus verò hominum nigro deformari colore.

Scribit Galenus proprietatem esse olei, ut commixtum cum aliis ingredientiis medicinalibus, ejusdem cum illis fiat qualitatis. Hoc idem S. Aug: serm: ad Frat: in Erem. ait: *Dominus ab amore peccantium refrigescit, quia per peccatum, in homine refrigeratus est amor Charitatis, cum calido calet DEUS, cum frigido friget.* *Qualem homo se DEO, talē DEUS se homini præbet.*

Parrhasius inter alia miranda, illud etiam monumentum reliquit posteritati, quo Genium sic expressit in tabula, ut variis spectatoribus varius appareret; ridens, flens, blandus, torvus, mitis, ferox, puer, senex, prout hinc vel illinc, obliquis vel directis oculorum radiis conspiceretur. Ita DEUS prout quisq; accedit ad illum, & quali eum intuetur oculo, talem se ejus objicit conspectui.

Legitur in Prato Florido de homine divite, qui pauperibus inhūmanum se, & durum præbebat, adeo ut cum eleemosynam peterent, aures ipse obturaret. Moritur tandem, & cùm ejus corpus efferretur sepeliendum, Religiosiq; in choro canerent: *Requiem æternam dona ei Domine* Christus cruci affixus, ad ejus erectus feretrum, decussis manibus occlusit aures, ne exaudiret fusas pro eo preces, qui similiter mendicantibus fecerat. *Qui obturat aures suas à clamore pauperum, & ipse clamabit & non exaudietur.*

Maximilianus 2dus Imperator ut ostenderet subditis, quem cum illis servaturus erat in regimine modum, curavit in symbolo depingi aquilam, pede uno fulmen tenentem, altero auream coronam, cum lemmate: *In oportunitate utrumq;* quasi vellet innuere, si bene mecum & convenienter se gesserint subditi; aureas offeram coronas. Si malè? præstò erit fulmen. similiter & DEI cum homine agendi modus describi potest, aut enim fulmina in nos torquemus, aut coronas capiti paramus. Reddet enim DEUS cuiq; secundùm opera ejus.

Cur Christus celer in emundando leproso?

Math: 8. Leprosus supplex adorat Christum & orat: *Domine, si vis? potes me mundare.* Vix tam compendiosam terminavit orationem; Salvator protensâ manu tetigit eum & dixit: *Volo, mundare:* Cur Dominus tantâ celeritate, in hoc leproso emundando usus, cùm aliàs consvevisset in aliis curandis moram interponere; vel eos, ad sacerdotes remittendo, vel varias cerimonias adhibendo, antequam sanitas illis restitueretur. Quis ignorat quantis suspiriis constitit surdi & muti curatio? quanta Christus fecit ut lumine oculorum donaretur cæcus à nativitate? quomodo infremuit, & in lacrymas solutus est, cum Lazarum suscitaret, hic autem sine ulla cunctatione, expeditissimè lepram mundavit.

Ima Ratio afferri potest: quia hic leprosus totum se DEI Hominis Voluntati commisit. dicens: *si vis? potes me mundare.* Christus itaq; sine mora mundavit eum, ostendens nullam planiorem, brevioremq; viam esse ad cujusq, emundationem, quàm sit plenissima in DEI beneplacitum, ejusq, in omnibus, voluntatem resignatio. Sicut enim felix structura est, quæ ad perpendiculum facta, felix imago ad exemplar & Archetypon formata, ita felicissimus est qui per omnia. Côformatur primæ regulæ morû Unde S. Leo serm: 7. de Pass in illa Christi verba: *Non mea Volūtas, sed tua,* sic ait: *Hæc vox capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia? quis tentationum turbines? quis posset persecutorum superare terrores? nisi Christus in omnibus patiens,*

Pa-

Patri diceret: Fiat Voluntas tua. *Discant igitur hanc vocem, omnes Ecclesiæ filii, magno pretio redempti, gratis justificati.*

2da Ratio sumi potest ex ipso objecto orationis leprosi, quia scilicet desiderio puritatis inflammatus petiit, non divitias, non hominum gratias, sed munditiem. *si vis? potes me mundare.* Ut ergo Christus declararet quantûm ei arrideat puritatis desiderium, quantùm placeat munditia, exnunc leprosi annuit postulatis. Nihil enim DEO gratius, nihil amabilius munditiâ ac puritate animæ. Psal. 44. Regius Vates prophetico abreptus Spiritu, mentis oculo vestem sponsæ Christi, Ecclesiæ intuetur, ac illius prænuntiat pulchritudinem, dicens: *In vestitu deaurato circumdata varietate.* Quando autem cælestes Spiritus oculos in eam intendunt Cant: 8. jam non advertunt ejusmodi varietatem: *Quæ est ista? quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Septuaginta legunt: *quæ est ista, quæ ascendit dealbata.* Ergone alia ornamenta, & cælorum varietas defuêre cælesti sponsæ? minimè. Aderant & alia decora, Angeli tamen omnibus aliis ornamentis prætulêre candorem, decusq; puritatis admirabundi extollunt: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Accendebatur purpureus in sponsæ vultu pudor, pallebant jejunia, florebat spes, radiabat fides, sed hæc omnia, in conspectu cælitum, herbam candori porrexêre. Deliciosi ornatus, pretiosa monilia, ad Puritatis splendorem, de suo pretio & valore dejici videbantur. *Quæ est ista?* inquirunt cælites Spiritus: non deaurata, non purpuram induta, sed *dealbata.* Tantum scilicet cælo, tantum DEO placet animi candor. Proinde etiam licet Christus fidem laudavit Petri, plùs tamen omnibus adamavit Virginitatem in Ioanne. Et ille in sinu Christi, ille supra pectus requievit, illum suo admovit cordi Salvator, quem Virginitatis flos commendabat.

Puritas Christo placet.

Aliam tamen Origenes Dom. 3. post Epiph in biblioth· hō: tom: 1. assignat causam: ut nimirùm cognoscamus quàm justè atq; exactè nostris actionibus DEUS respondere, quàm pares rependere vices soleat. Qui tam magnificè honoravit Dominum, meritò ille sine cunctatione curatur

qui promptus credit, subitò sanatur. DEUS enim justam servat vicissitudinem, & qualia sunt cujusq; obsequia, talia beneficia reponit. Unde sic loquentem inducit Dominum. *Magnificè credis, magnificè & mundaris, plenissimè confiteris, plenissime lætificaris, non dubitasti credere, non dubito sanare, non distulisti confessionem, non differam te mundare.*

Oseæ 12. Per os Prophetæ dicit Dominus: *Locutus sum super Prophetas, & ego Visionem multiplicavi, & in manu Prophetarum assimilatus sum:* Difficultatem hujus loci sacræ scripturæ sic D. Chrysost: hom: 32. in Genes: exponit, aptè ad præsentis annotationis propositum dicens: *Ego visiones multiplicavi, hoc est unicuiq; apparui pro sua dignitate.* Illos nempe Prophetas DEUS majoribus beneficiis cumulabat, quorum erat impensius studium famulandi DEO, & iis plura Sapientiæ suæ arcana aperiebat, qui pluribus illum officiis sibi demerebantur; impensioriq; observantiæ major semper gratia & visionum copia respondebat: *Unicuiq; apparui pro sua dignitate.*

S. Ambrosius instituit quæstionem cur Christus Joan: 20. apparens post suā resurrectionem Magdalenæ ploranti, quæ nesciebat quia JESUS est, existimans illum hortulanū esse, non illā ut discipulam, non ut sui amantem Magdalenam alloquitur, sed ut rudem mulierem compellat. *mulier quid ploras?* & respondet S. Doctor; *quando non credidit, mulier est, quando converti incipit, Maria vocatur*; quasi diceret: non recognovit illa Christum ut Dominum, sed ut extraneum, neq; Christus illam Magdalenam nominat, sed mulieris extraneæ vocabulo indigitat; illa Christum sub hortulani specie sibi proponit, illam Christus plebeio mulieris nomine designat.

Idem D. Ambrosius alteram similem instituit quæstionem: cur Christus Dominus Luc: 23. Latroni petenti ut sui memor cæleste occupet Regnum, sine dilatione promittit Paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.* sicq; resolvit propositam difficultatem, dicens: *Pulcherrimum datur affectandæ conversionis exemplum, citò ignoscit DEUS, quia citò*

ille

ille convertitur. Talem scilicet Christus se latroni præbuit, qualem Christo, se se latro exhibuit. Promptus hic erat ad conversionem, & Redemptor velox ad miserationem.

Vivero noster refert, quod Santareti in Hispania, sacra hostia videnda populo exponatur, in qua diversis diversimode Christus se spectandum objicit: aliis in Cruce expansis ulnis, sine mensura Misericordiæ visendus occurrit, ab aliis in specie elegantis Iuvênis aut Pueruli conspicitur; alios sub vultu Iudicis formidandus terret, alios suæ resurrectionis gloriâ solatur; aliis demum sanguineus quandoq; ac rubicundus corpore, quandoq; in cunis totus candidus apparet. Ita pro varietate accedentium ad sui conspectum, variam sui proponit Imaginem.

Sub variâ specie varius Christus apparuit.

Concludat corvus æsopicus, hic, cùm lethali morbo urgeretur, matrem assidentem monebat, ne ploraret, sed potiùs suam sanitatem, precibus commendaret Diis. Cui illa: *O mi fili! quem Deorum tibi propitium fore confidis? cum nullus sit, è cujus arâ, victimæ partem non sis furatus.* Quasi innueret: prout tu cum diis egisti, tales experieris. Figmentum quidem Póëtarum hæc relatio est, cæterum bene veritatem illam illustrat, quod modus noster cum DEO agendi, normam dat eidem, nobiscum procedendi.

ANNOTATIO 3tia.

QUONIAM INVENITUR Ab His, QUI NON TENTANT EUM.

HAbemus suprà D. Hieron: versionē *Appropinquat Dominus his, qui non tentant eum.* Non multa solicitudine inquiri debet DEUS, ipse solus appropinquat homini, ipse se ingerit, nec aversatur quenquam, nisi per obstacula sibi accessum, denegantem. Unde palam est, quòd quisq; suæ fortunæ faber sit. Non DEO, sed sibi quisq; debet imputare ruinam.

Quisq; sibi imputet ruinam.

Hu-

Hujus veritatis similitudo potest imprimis peti à scintilla, quæ resiliens ab igne, citò extinguitur, cui additum lemma: *divisa perit* Ita qui se dividit à DEO, ejusq; amore, perit, sibiq; ruinam parat.

Potest item sumi illustratio à fera, extra sylvas prædam inquirente, laqueisq; irretitâ, cui adscriptum: *Capior dum prodeò.* Item à pisce subsiliente in aquis, suoq, impetu, extra aquas in arenam cadente ac moriente.

Marius tyrannorum 7mus, ævo Gallieni Cæsaris, uno die factus Imperator, altero visus imperare, 3tio die occisus per militem illo ipso gladio, quem antea fecerat Marius, cùm Machæropeus esset, eum itaq; confodiens dixit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Nempe non alius sed ipse sibi hanc paravit ruinam.

Tarpeia Romana Virgo Capitolium Tarpeii Patris, suæ commissum custodiæ, proditura Sabinis, in mercedem petiit, quidquid sinistris brachiis gestarent milites [armillas intelligens, quas illi aureas gemmeasq; ferebant) annuerunt ejus postulationi; potitiq, arce, Virginem armillarum & scutorum congestu obruerunt & enecârunt. sic sua illam habendi aviditas perdidit.

Columbæ Regem eligunt Accipitrem. Carolus Sigonius refert apologum de columbis, quæ tædiosè, ferentes bellum cum milvo, accipitrem sibi in *Regem* elgerunt ejusq; se se potestati subjecerunt. Accipiter evectus ad regimen, columbas deplumare cæpit, ac suæ mensæ prædam facere; serò doluêre columbæ, quòd liberè sibi ruinam paraverint. Quem apologum, tali carmine expressit dictus Author.

Accipitrem, milvi pulsurum bella, columbæ
Accipiunt Regem. Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia saniùs esset,
Milvi bella pati, quàm sine Marte mori.

Sic quandoq, homines gravia putant præcepta DEI, & jugum Christi; sed postquam peccati vinculis se illigant, tunc primùm dolere incipiunt, suamq; inculsare insaniam lugubri voce: *nos insensati &c,*

Pro-

Proverb: 1. quid est quod DEUS Misericordissimus, qui non vult mortem peccatoris, prædicit se explosurum risu, quoddam genus intereuntium, dicens: *Ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Patienturne aliquando plena miserationis, & Bonitatis DEI viscera, ut non solùm super miseriâ intereuntium, non moveatur DEUS, sed etiam insultare pereuntibus videatur? Magnum hic mysterium latere debet, quod ut evolvatur, exponendum est, cur DEUS ridebit? quando interibunt aliqui. *In interitu vestro ridebo.* Plures ad ejus quæsiti resolutionem possunt congeri rationes. Quarum.

Ima est, ut discamus, non semper hilarem DEI faciem, præsagam esse gaudiorum nostrorum, sæpe magis timendus est DEUS cum ridet, quàm cum irasci videatur. Imò signum est interitûs nostri, quando DEUS hilarem, serenamq; faciem nobis ostendit, cum nos exasperatum irâ DEI vultum mereamur. Miseram sortem floris illius, qui sereno solis radio uritur, ubi rore aut imbribus rigandus esset Infelix bos, qui jugo, laboribusq; solvitur, ut enutriatur & pinguescat. ad macellum. Beatior, quia de suo vigore & purpura securior, sub spinis rosa, quàm molli tractata manu. Luc: 5. Mirum quòd Petrus ubi cæpisset magnam piscium multitudinem, expediat à se Christum! *Exi ame Domine, quia homo peccator sum* Si præsente Christo tantam piscium copiam trahit Petrus, cur Christum exulare jubet? Ergone abundantia rerum, cum Christo componi nequit? Ergo, ubi affluunt omnia, DEUS subsistere non valebit? Ita sæpe fit, ut anima eo magis destituatur DEO, quò pluribus de manu ejus, cumuletur beneficiis. Tota nocte laborabas Petre, & nihil cæpisti, vix illuxit cum Christo dies, & tanta tibi piscium venit copia. Liberalem experiris dexteram DEI hominis, neq; tamen unâ pateris eum stare navi? Sed expendamus quid causæ afferat Petrus? *quia,* inquit, *homo peccator sum.* Vidit præsentem Christum, vidit cum ejus præsentiâ, omnium copiam, sed se tantâ indignum judicavit; proinde ad genua procidens dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Te quidem munificum

Misericordia DEI timenda peccatori.

agnoſco, ſed me peccatorem confiteor. Quare aut liberalis eſſe in peccatorem deſine, aut de navi exire velis. Timeo enim beneficia, dum pœnas mereor, blandum vultum vereor, & effugere contendo, cùm iram tuam & minas, mea provocent peccata. *Exi ame Domine quia homo peccator ſum.* Confirmat hanc cogitationem D. Hier: Epiſt: 33. ad Caſtrut: *Magna ira eſt, quando peccatoribus non iraſcitur DEUS.*

Ioan: 6. Ubi ſaturati ſunt omnes ex quinq; panibus, jubet Dominus, ut Apoſtoli colligant fragmenta: *Colligite fragmenta ne pereant.* In quem locum ſcribens D. Chryſoſt: dicit: *æquali numero Apoſtolorum, duodecem cophinos collegerunt.* Minimè quidem illud mirandum, quòd Salvator noſter, ita fragmenta illa multiplicaverit, ut Petro, Ioanni, Andreæ, aliisq; ſtrenuis in Chriſti vinea operariis Apoſtolis, ſuum exdiviſerit cophinum fragmentorum, ſed quòd etiam Iudas parem cum aliis liberalitatem ac munificentiam Domini experiatur, non poſſum non mirari. Itane filius iræ ac perditionis, cum Electis DEI, æqualem accipiet portionem? ita perfidus ille apoſtatarum anteſignanus Iudas, in eandem cum aliis Chriſti Aſſeclis ſortem vocabitur? Indignum eſſe videtur, ut ei alimenta provideat Dominus, cui tota vivendi ratio, ipſius etiam Chriſti inſidiari vitæ. Fame confici debuerat, qui vel ipſum pacis oſculum, proditionis ſignum facturus erat, ipſasq; virtutes, ſuæ miniſtras nequitiæ formaturus. Verùm nemo ejusmodi ſortem invideat Iudæ, monet prædictus aurei oris Doctor, dicens: *Erat autem & hoc, non parùm ad condemnationem Iudæ, qui cophinum portabat.* Quaſi hic Sanctus inſinuaret: Merebatur iram potiùs, quàm Chriſti reſpectum Iudas, pœnis non pane dignus. Chriſtus tamen liberalem ſe, illi exhibet: *Sed erat hoc ad condemnationem Iudæ.* Erat ſignum interitûs æquanimem experiri Chriſtum, cum alienum à ſe videre debuiſſet ſeductor.

Hinc S. Nilus increpat illos, qui applaudunt felicitati iniquorum potiùsq; lacrymas ſuadet & compaſſionem peccatori faciendam inter

prospera versanti, dicens: *Luge peccatorem felicem.* Idipsum Origenes hom: 8. in Exod: pluribus exaggerat: *Hoc est terribile, hoc est extremum, cùm jam non corripimur pro peccatis, cùm jam non corrigimur delinquentes.*

Isaiæ 26. *Misereamur impio*, dicit Dominus, *& non discet Iustitiam.* In quem locum S. Bern: serm: 42. in Cant: ait: *Misericordiam hanc ego nolo, super omnem iram miseratio ista; sepiens mihi viam Iustitiæ. Volo irascaris mihi Pater Misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non extrudis de via.*

Psal: 9. *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* S. Aug: in eum locum: *Multum irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata.* Et ultra: *Nemo gratuletur homini, cujus peccatis deest ultor, adest laudator. Major hæc ira Domini est.*

Psalm: 44. *Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede & regna, accingere gladio, super femur tuum.* Lyranus quærit: *quid est gladius ille? est species ipsa & pulchritudo.* Apoc: 1. Videns S. Ioannes similem filio hominis, cujus caput & capilli tanquam nix, oculi tanquam flamma, habentem in dextera sua stellas septem, cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus, & audiit, habeo claves mortis & inferni: nempe clavis est ad interitum, facies Domini serena, & nobis blandiens, ubi aversam & fulminantem meremur.

Indigni commiseratione ubi plures pereunt.

Ratio ac reflexio 2da; quia scilicet indigni sunt commiseratione, ubi plures pereunt. Minùs est, si cadat unus, veniam meretur, qui solus peccat; verùm ubi plures in malum conveniunt, ubi suus cuiq; non sufficit interitus, subsannationem DEI, non miserationem sperent. Obsequium quisq; præstare contendit ægro, si solus infirmetur; ubi plures jacent, nemo propiùs accedere, nemo infirmos juvare ac solari audet, quisq; sibi metuit; contagioso ne succumbant morbo, universi aversantur. Si unum pomum putrescat, flocci penditur, sed si copia pomorum putredine inficiatur, omnia extra tecta domûs ejiciuntur. Ita DE-

DEUS nulla commiseratione dignos judicat, qui plures cadunt. *In interitu vestro ridebo.*

Matth: 13. Advertentes servi zizania electo tritici grano admista, dolentes referunt Domino: *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* & respondet illis: *Inimicus homo hoc fecit.* Quem locum expendens Ioannes Cluniacensis, sic differit: *Inimicum vocat diabolum, quia non solùm sibi fuit inimicus, sed omni homini curat esset inimicus. Nam si sibi soli adversaretur, fortè à DEO (etsi esset inimicus) hoc nomine non appellaretur, ut intelligat peccator: quia quando sibi ipsi est peccator, & non aliis, apud DEUm, quasi non esset peccator reputari videri.* S. Bonav: in stim: amor: par; 3. c. 19. tom: 2. inquirit: Cur illa Oratione directa ad Beatissimam: *Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te suspriamus gementes & flentes &c:* non dicimur potiùs filii Adæ? & respondet: *Ad te clamamus exules filii Evæ, non enim nobis sufficiunt mala nostra, sed sicut Eva Adam, sic nos alios maculamus ad malum.* Proinde filii gementes & flentes dicimur, ut innotescat cuiq;: miseros illos & sine omni miseratione in valle lacrymarum relictos, quibus suus in perniciem non sufficit progressus. Invehitur contra ejusmodi corruptores D. Epiphanius ad B. Hieron: To: 3. Biblioth: vet: PP: *Audio ad occidentem quorundam hominū naufragia pervenisse, qui non contenti perditione sua, volunt plures habere mortis participes, ne incomitati ad inferos abeant.* Et addit Niss: *Væ illis propter atrocitatem tormentorum, quibus excruci buntur.* Oseæ 1. Dominus DEUS dicit: *Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum, & domui Iuda miserebor, & salvabo eos.* Quid obsecro causæ est, quòd Divina Misericordia profusa in Regnum Iuda? at verò à Regno Israel avertatur? Optimè Rupertus ratiocinatur: *Si quæris rationem cur Dominus non Israeli sed domui Iuda misereri debuerit? Sciendum tibi est, magnam in Regibus Israel & Regibus Iuda distantiam fuisse peccati. Regum quippe Iuda nonnulli justi fuerunt. At verò de Regibus Israel, nullus extitit, qui faceret, quod*

rectum

rectum esset, nullus qui recederet à peccatis Hieroboam. Planè indigni Misericordiâ, qui ut peccarent, omnes conspirârunt in unum.

Ratio 3tia Erudire nos scilicet Dominus voluerat: hilarem illum vivere, aliis etiam pereuntibus, cujus vita à pereuntium exemplo longè aberat. Confirmat id Psaltes dicens. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Psal: 1. *Lætus, qui nullių ruinæ causa fuit.*

Ratio 4ta, quia Interitus pereuntium non ex DEO, sed ex ipsis pereuntibus proveniebat. *Ridebo,* inquit, *in interitu vestro,* hoc est, non me sed vobis ipsis eum causantibus. Nempe maximis ille affluit solatiis, inter medias etiam aliorum ruinas, qui ut alii ruerent Author non erat. Ex ipsius naturæ dispositione; hujus veritatis evidens argumentum occurrit: Illas enim duntaxat aves suaviùs canentes audimus, quæ seminibus contentæ, alienum haud sitiunt Sangvinem; quæ aliena vescuntur carne, aliorumq; viventium reficiuntur morte, tristiùs nonnisi crocitare didicerunt. Cygnus etiam dum moritur, canit; Accipiter, Milvus ac Corvus, etiam inter epulas, vix aliquid triste sonant. Describentes Evangelistæ, Christi ad mortem progressum, imprimis inducunt eum sic orantem ad Patrem: *Pater ecce non perdidi quenquam ex eis, quos dedisti mihi.* Deinde subdunt, quòd cantato hymno exierit cum discipulis. Exemplo suo docens; lætos illos & canentes mortis etiam subire pericula, qui nullius ruinæ causam dederunt. Ludovicus Cortusius, Iure consultus Patavinus, Sanctissimè suum administrans officium, nulliq; unquam nocens per suæ vitæ tempus, interdixit testamento lacrymas, aliasq; à suo funere lamentationes abesse præcepit, solos aulædos, Citharædos, & omnis generis musicos adhibendos præscripsit, qui unà cum candidato clero funeris pompam partim præirent numero quinquaginta; partim sequerentur, deputando singulis dimidium aureum in vim laboris. Et ita sepultus est in Templo S. Sophiæ Patavii, an: 1418. Nullusq; admissus ad funeralia celebranda, qui nigro vestitu incederet.

Ratio 5ta. Ridet DEUS, miseri intereunt peccatores. Nihil equidem ma-

magis interimit malevolos, nihil citiùs prosternit invidos homines; quàm hilaris Innocentûm in omni fortunæ alea vultus. Inexpugnabile contra perversas mentes scutum, efficacissimum telum est, quo seipsos conficiant invidi, collecta ex adversis hilaritas, & pacatus inter aliorum turbulentias animus. Refert Seneca Ep: 103. quòd Anacharsides scytha interrogatus, quid hominibus maximè infestum esset? respondit: *Ipsi sibi ipsis.* Unde Venusinus Vates canit: *Invidus alterius macrescit rebus opimis. Invidiâ siculi non invenêre tyranni, tormentum majus.* Similis est invidus milvis, quos cadaveribus pasci, & pretiosis unguentis emori dicit D. Greg: Niss. in Moys: Vita. Imago Invidi, basiliscus est, qui Solino teste serpens exitialissimus, in funera terrarum natus, solo aspectu auras inficit, plantas urit, animalia perimit, ipsa saxa dissolvit, si autem seipsum intueatur, halitu in se reflexo perit, & suis necatur spiculis, ita invidus, qui venenatos ignes in insontes ejaculatur, suo se ferit gladio, suis configitur sagittis, ut veteres illi exprimunt jambi: *Parum alteri, multum sibi invidus nocet. Ærugo ferrum, invidia perimit invidum.*

Hilaritas Innocentis fulmen impio videtur.

Hinc S. Aug: tom: 10. serm: 83. de temp: *Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit & consumit.* Exod: 34. Mirum est, quòd DEUS mittens de monte Sinai Ducem sui populi Moysen ad Israelitas, jam idololatriâ contaminatos, splendore magno illius vultum exornaverit, ita ut videntes Aaron & filii Israel, timerent propè accedere. Cur potiùs non fulminibus armavit faciem ejus contra insensatos? sed tanto splendore decoravit? Ipsa nimirùm Iusti hilaritas, ipse faciei splendor, fulmen est & telum contra malevolos. Examinemus qualis Moyses apparuerit perversis Israelitis: Dicit sacer textus: *Videntes cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Moyses illuminatus, perversis apparet cornutus. Omnes sereno vultu in suos affectus trahere conatur, & ipsi timore concutiuntur universi. Ipsos quippe alienæ serenitatis radios in spicula convertunt invidi, quibus se se confodiant.

Ratio ultima: Ridet DEUS, non irâ exaſperat vultum, cùm pereant peccatores, ut oſtendat quòd ſibi ipſis imputare ruinam, non DEO debeant. Potuiſſet fortaſſis peccator, querelarum cauſam aliquam adversùs DEUM prætendere, ſi aliquando torvum, & à ſe averſum vultum ejus proſpiceret; ſed cum ipſo etiam ſuo in interitu, blandum experiatur, nulli alteri, niſi ſibi ſuccenſere debet, quòd intereat, *In interitu veſtro ridebo*; quaſi diceret: quidquid paternarum blanditiarum in vultu meo aſpicitis, meæ Bonitatis eſt. *Ego ridebo.* Sed veſtrum eſt, quidquid perniciem & æternam paravit ruinam: *In interitu veſtro.* Ut ſerenum vultum præferam ego, mea facit Miſericordia; ut pereatis vos, veſtrâ induſtriâ ſtabit. Eleganter in eandem propoſitæ cogitationis ſententiam, SS. Patrum dicta conveniunt. Ex quibus primus S. Aug: lib: de Nat: & Grat: c. 26. ſic ait: *DEUS non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèq; vivatur.* Et rurſus ſerm: 88. de temp: *Hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra; quia nunquā DEUS priùs deſerit hominē, niſi priùs ab hōine deſeratur; cùm enim ſemel & ſecundò & tertiò unuſquiſq; gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum DEUS: cùm verò in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorū naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio gēeratur.* Et D. Fulgent: lib: 1. de duplici prædeſt: c. 13. *Juſtè deſeritur à DEO, qui deſerit DEUm; & quia homo deſerens DEUm peccat, deſerens peccatorem DEUS, juſtitiam ſervat.* Accedit Concil: Trident: authoritas, ſeſ. 6. c. 11. *DEUS ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Legitur in hiſtoriis quòd Anaſtaſio Imperatori licentioſiùs viventi, homo quidam apparuerit dormienti, librum & calamum in manu tenens, ac eidem dicens: *Ob peccata tua deleo quatuordecē annos vitæ tuæ.* Fortaſſis ut ei, omnibusq; aliis doctrinam relinqueret: Qui peccata multiplicat, vitam minuit. Unde S. Greg: *Plerumq; perverſæ menti, ipſa ſua culpa fit pœna.* Et S. Aug: in Pſal: 7. *Fratres mei ita credite, ita certi eſtote, ita ſi eſt in vobis excellentior prudentiæ*

Ruinæ ſuæ quiſq; ſibi author.

ratio

ratio, videte atq; perspicite: nemo malus, quin, priùs sibi ipse noceat.

Psalm: 7. De Peccatore refert Propheta: *Incidit in foveam, quam fecit.* Ex quo facilè quisq; inferre potest, non alienæ manûs, sed propriæ cujusq; opus esse, quòd præceps ruat. Hinc D. Aug: in Psal: 5. scribens, ait: *Punit DEUS peccatores, sed cùm punit, non malum suum eis infert, sed malis eorum, eos castigat.* Nos, quæ nobis infiguntur tela elaboramus, nos manum DEI illa contorquentem movemus; nostri est operis industria, quod patimur.

I. Reg: 18. Decantatum legitur certamen Davidis cum immanis staturæ Gigante Goliath. Insultabat corporis proceritate superbus Gigas populo DEI, & magis fastuosæ mentis tumore, quàm corporis mole elatus, insolenter illi imparem bellis animum exprobrabat. Audiebant Israelitæ suum opprobrium, nec illud vindicare audebant. Interim excitavit Spiritus Domini Davidem, annis adolescentem, sed animi robore adultissimum, qui populi sui causam suscipiens prodit ad certamen; nec infelici passu; Vix enim fundâ vibravit lapidem, carneam illam molem, uno ictu ad terram prostravit, & suo Gigantis gladio, caput ejus amputavit. Unde oritur difficultas resolvenda: duo concurrebant ad ruinam Goliath: lapis scilicet directus in frontem à Davide, & gladius ipsius Gigantis. Cur tamen non lapis victoriam incipiens, mortem ultimatò intulit, sed gladio exequenda mors est commissa? lapis deposuit in terra Gigantem; gladius eum capite & vitâ privavit, Posset quidem illa dari ratio: quia illud victoriæ genus gloriosum est, ubi uno vincente, alii non excluduntur à triumpho; ubi quis simul de hoste, simul de proprio triumphat fastu. Satis fuerat lapidi, dignum morte caput indicasse, satis viam parasse ád victoriam, gladium quoq; participem gloriæ & triumphi esse voluit, eumq; ad consumandum opus admisit. Cæterùm magis altera arridet ratio ex discursu quem affert D. Ambr: serm: 88. Ep: Mediol: deducta: *Legimus in scripturis,* inquit ille, *lapidis vocabulo, Christum singulariter designa-*

designari, *sicut ait Propheta: lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Igitur cùm lapide Goliath percutitur, Christi virtute prosternitur.* Ex quo discursu taliter prædicta difficultas acuitur & resolvitur. Si Goliath peccator est, lapis peccatorem interficiat, Christi virtute mors illi inferatur. Nequaquam, suo ipsius gladio perimendus est Gigas, non lapide Christum adumbrante, ut ex hoc pateat: Peccatores, suis ipsorum armis, non DEI jaculis perire. Gemit molis pondere oppressus impius, sed pondere quod ipse sibi coacervavit. Moritur impius, sed morte, non tam à DEO immissâ, quàm à se quæsitâ. Ipse tulit ferrum in aciem quo periret.

Sed jam concludat hanc annotationem fatalis cujusdam vitæ epilogus, quem describit P. Major Soc: IESU Theol: In Anglia vir religiosu, veste, non moribus, sæpiùs rabido dente, aliorum famam lacerare solitus, hic in extremis constitutus invitabatur adstantium persuasionibus ad Sanctam de æternitate cogitationem, suiq; ad meliùs obeundam mortem, dispositionem; sed post multa monita, Misericordiæq; DEI exaggerationem à circumstantibus factam, respondit moribundus, productam de ore percutiens linguam digito: *Hæc lingua pessima me damnavit.* Dixit ista, & lingua subitò intumuit, ita ut in fauces retrahi nequiêrit. Non DEO itaq; sed sibi quisq; debet imputare ruinam.

ANNOTATIONES.

IN textum qui sequitur: *Apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Fontes autem Annotationum possunt esse. 1mo, ex combinatione apparitionis prærequirentis fidem, quod scilicet DEUS tunc primùm, & hos duntaxat ad sui conspectum admittendos promittat, qui fidem in illum habent. 2do, quod DEUS ad sui apparitionem

fidem omnino habendam præscribat, nec ejus desiderio contentus.

ANNOTATIO Ima.

APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT in ILLUM.

Fides vilis, quæ miracula exigit.

NON Priùs Dominus apparitionem suam promittit, quàm fides in eum habeatur. Apparitio nempe modus agendi cum homine extraordinarius & miraculosus est, proinde renuit Dominus prodigioso uti medio, ut homo ad amplectendam excitetur fidem. Nimirùm vilis illa, minùsq; æstimanda fides hominis est, quæ sola expectat miracula, nec aliter, nisi magno prodigiorum pretio paratur ac impetratur.

Ioan: 4. Mirum est quod mansuetissimus semper Salvator noster accedentem ad se Regulum asperiore vultu recipit & alloquitur, nec, ab eo invitatus descendere in domum ejus dignatus est: hanc illi exprobrationem adjiciens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Volebat scilicet in uno Regulo, nos omnes instruere. Exiguam illius esse fidem, qui solis adducitur miraculis ut credat. Is verè fidelis censendus est, qui nulla expectans miraculorum testimonia, quibus trahatur, ipse suum ducit captivum intellectum in fidei obsequium. Inde ad longam posteritatis memoriam erudito Scriptorum calamo proponi meruit, multis cumulatus encomiis Ludovicus Galliarum Rex, quòd ad suam fidem, non requireret miracula. Cùm enim anno 1256. in Gallia intra regale sacellum celebraretur missæ sacrificium absente Rege, & post consecrationem visibiliter appareret Christus sub specie parvuli elegantis, invitabatur Rex, ad insolitum spectaculum, sed ille respondit: *Eant illi, qui de vera Christi præsentiâ, sub Orbe Eucharistico fidem non habent, ego quotidie oculis fidei ibidem illum specto.*

Ioan: 20. Confitetur Thomas Christum esse DEUM, & dum resurgentis gloriosa palpat vulnera, totâ vocis contentione clamat:

Domi-

Dominus meus & DEUS meus, neque tamen laudem meretur, illi soli inter Beatos referuntur, qui non viderunt & crediderunt. Unde S. August: super Ioan: inquirit; *Quid est fides? nisi credere quod non vides: Unde & quomodo capitur Trinitas? rectè o homo! interrogas: ideo bene creditur, quia citò non capitur; nam si citò caperetur, non esset opus ut crederetur, quia videretur.* Et S. Bern: serm: 67. ait: *Transgreditur fides rationis fines, humanæ naturæ usum, experientiæ terminos.* Vix itaq; ille fidelis censendus est, qui ut credat, experimenta quærit.

ANNOTATIO 2da.

APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT in ILLUM.

Fides antecedenter habenda est, ut subsequatur Divina apparitio. Fides nempe bonorum omnium radix, fundamentum perfectionis, beatitudinis junua est. *Fides bonorum omnium fundamentum.*

Accommodè ad hujus veritatis illustrationem D. Augustinus fidem nobis sub radicis similitudine proponit, serm: super Ioan: dicens: *Quidquid est in arbore pulchritudinis vel decoris ex radice procedit: sic quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit.* Et serm: de verbis Domini addit: *Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores; nulla hujus mundi major est substantia, quàm est fides catholica, quæ peccatores homines Salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, fideles justificat, pænitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat, Virgines & viduas & conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, inhæreditate æterna cum Sanctis Angelis collocat.*

Psalm: 44. Non priùs cælestis sponsus suum vultum spectandum offert, non priùs sponsam, ad videndam faciem suam invitat, antequam fidei suæ præmiserit meritum. *Audi*, inquit, *filia, &* tum primùm, *vide*.

vide. priùs, *inclina aurem tuam,* antequam ad visionem DEI attollas oculum. In quem locum D: Chrysost: scribens dicit: *Audi, hoc est crede: Dos Sponsæ in auditu erat. Quid est in auditu? in fide non in fruitione.*

Matth: 9. Quis illi mulieri fluxum sangvinis patienti, optatam dedit salutem? en Veritas ipsa Christus testatur: *Fides tua te salvam fecit.* Hinc rectè D. Aug: serm: de fide ad Petrum. *Hoc est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum DEI numerum potest pertingere vel pervenire: sine hac omnis labor hominis vacuus est.*

ANNOTATIO 3tia.

APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT in ILLUM.

Fides antecedit visionem DEI.

PRæmittenda est fides visioni DEI; quia scilicet meritum antecedere debet, ut sequatur præmium. Haud ille præmiandum se speret claro vultûs Divini lumine, qui per obscuræ fidei semitam progredi neglexerit.

Quis sub serenæ æstatis intervallum, copiosam speret messem in horrea se devecturum; nisi priùs electa seminum grana, in obscuro glebæ sinu diutiùs nutrienda, terris mandaverit. Hac similitudine D: Gregorius utitur, dum lib: 11. Epist: 47. ad Præcones fidei ait: *Crescunt quotidie per lingvæ vestræ vomerem, grana cælestia, atq; in horreis multiplicantur supernis.* Et certè si ipsius naturæ dispositione nullus in lucem educitur fætus, antequam inter uteri detineatur latebras; etiam nobis non aliter speranda lux cælestis gloriæ, nisi inter obscuras veræ fidei imagines versantibus, juxta Doctoris Gentium effatum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

Genes: 25. Priùs luctari inter umbras noctium, cum Angelo, Jacob Patriarcha debuerat, antequam Israelis nomen, hoc est videntis DEUM accepisset. Vana est sine obsequiis expectatio mercedis; præsumit

ille

ille, non sperat, qui sibi absque meritorum suffragio, cælestem gloriam pollicetur.

Genes: 27. Isaac in confinio mortis positus, antequam supremam benedictionem primogenito impertiret filio, priùs sibi obsequium ab eo præstari cupit: *Tolle arma tua, pharetram & arcum & egredere foras, cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.*

Inquirit Nicol: Lyranus, cur priùs hæc facere jubeat filium Pater, antequam benedicat? & respondet: *Quia filius recipiens benedictionem, debebat Patri facere obsequium, & servire in mensa.* Neq; Divinam speret quisquam benedictionem, nisi præmiserit debita DEO obsequia.

ANNOTATIO 4ta.

APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT in ILLUM.

CUr non aliter appariturum cuiquam Dominum declarat Sapiens, nisi in eum fides habeatur? Parùm nempe est, ad visionis beatæ possessionem obtinendam, solo virtutis ferri desiderio, sola fidei augeri proposita. Ille dignus efficitur, cui se se videndum præbeat DEUS, qui in exercitio Virtutum desudat, & non solis fatigatur desideriis. Tenere fidem in fructu, & non solùm in desideri flore fovere debet, qui in conspectum Domini venire contendit. Haud ille gloriosum Numinis vultum sibi polliceatur, quem sola angunt vota & nulla virtutum fideiq; recreat possessio. Quid profuit ad felicitatem consequendam Tantalo (si commentis Poëtarum damus fidem) jejuna semper labia & otiosos dentes à fugacibus referre pomis? Quid ad beatitudinem conduxit, hiantes & aridas continuò, inter undarum profluvia exercere fauces.

Fides sine operibus mortua.

Luc: 8. Non levem difficultatem ille locus Evangelii adfert, ubi

supremus Magister ait: *Exiit qui seminat, seminare.* Si enim divini seminis salutaria grana quis seminat, quomodo adhuc exit seminare? Eadem videtur esse hæc locutio, atq; si quispiam diceret: *Ego scribo, exeo ut scribam.* Ioannes Cluniacensis tali expositione solvit difficultatem: *Qui seminat desiderio, exiit opere seminare, ut nostræ salutis viam doceret:* Non satis est scire necessaria ad salutem, velleq; ea facere, nisi admoveatur insuper operi manus. Parùm valent, nec multum lucrantur apud DEUM sola desideria, quibus nunquam adjungitur executio. Quis enim coronabit victoriæ lauru, solis votis ac desideriis bella gerentem? Quis artificis ædificandi voluntatem pretio æstimabit? si nullæ unquam assurgent ædes. Flos arborum sine fructu, nulla feret solatia.

Psalm: 118. Coronatus Vates canit: *Lucerna pedibus meis, verbum tuum; & lumen semitis meis.* S. Ephrem expendens hæc verba sic Psalmistam alloquitur: *Quid ais Propheta? lucerna non oculis lucet? nunquid pedes oculos habent? quo igitur pacto, omissis oculis, visum pedibus attribuis?* & sibi respondet: *Nam pedes animæ sunt intellectuales oculi,* Hoc ipso innuens, quòd tunc anima feliciter progrediatur, quando lux oculorum, ad pedes transit. Parùm enim prodest, multa perspicacibus longè videre oculis, nisi ad eadem velocibus contendas pedibus. Cupienti æternam vitam non sufficit cognoscere viam, quâ eundum est, nisi simul itineri accingat pedes.

Lucæ 1. Sanctus Parens Zacharias duo sui filii officia exponit illis verbis: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes in viam pacis.* Imum fuit: *illuminare his; qui in tenebris* errorum, *& umbra mortis,* cæci captiviq; jacebant. Alterum *dirigere pedes,* illorum *in viam pacis.*

Theophilactus quærit: Num igitur sufficit solum illuxisse obtenebratis? minimè. Sed etiam opus est, ut dirigantur pedes nostri in viam pacis. Lumen enim, quo aliquis illuminatur, ut cognoscat viam rectam, haud deducit ad visionem DEI, nisi simul dirigat ipsius illuminati pedes in viam pacis.

TER-

TERTIUS VERSUS PRIMI CAPITIS SAPIENTIÆ.

PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO; PROBATA AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.

EXPOSITIO SS: PATRUM.

PERVERSÆ *Cogitationes separant à DEO.* ex græco apud Cornelium á lapide legitur: *Discursus tortuosi, perplexi, flexuosi, obliqui versuti* &c: *separant* à DEO. Arabicus habet: *Cogitationes difficiles & perversæ separant à DEO.* Syrus dicit: *elongant* à DEO. S. Chryst: hom: *6.* ad Popul. sic eundem sensum exponit: *Peccata nos a DEO separant.* Ut inde colligatur non per omnes cogitationes hominem separari à DEO, sed solùm per illas pravas, quibus Voluntas vel expressè, vel tacite acquiescit. Cantacuzenus explicat: *Curiosæ quæstiones deviant à DEO.*

Probata autem Virtus corripit insipientes. Variæ sunt hujus loci Authorum expositiones. Aliqui enim, ut Lyranus, Dionys. sumendo hic virtutem, pro honestate & probitate, talem sensum volunt esse prædicti textûs: Virtus hanc habet vim in eo, qui illâ præditus est, ut eum faciat aptum ad corripiendos insipientes. Holcot verò & Hugo intelligunt fidem, quæ à mente aufert insipientiam. Alii cum Bonavi

Vata-

Vatablo, Clario, Osorio, accipiunt virtutem pro Potentia Iudicum ac Gubernatorum. Alii tandem cum Cornelio à lapide intelligunt Potentiam DEI, ita ut ille textus hunc sensum reddat: Virtus id est Potentia DEI, per multos suos actus & effectus probata corripit & castigat insipientes. Arabicus loco hujus *probata virtus*, habet: *exquisita virtus*. Syrus autem loco istius *corripit insipientes*, legit: *redarguit contemnentes*.

RESOLUTIO

OCCURRENTIUM DIFFICULTATUM.



NON paucæ, nec inutiles ex præsenti versu possent oriri quæstiones ac difficultates resolvendæ. Et imprimis omissâ quæstione quænam cogitationum sit sedes? an cor hominis? ut Aristoles & Stoici volunt, cùm illisq; Tertullianus ac D Hieronymus, faventibus sibi nonnihil sacris paginis; an verò caput? ex medicorum communiori sententiâ. Ex Imo textu hæc examinanda veniunt. Imum est. Unde proveniant cogitationes pravæ? 2dum quomodo illis occurrendum. 3tium an quælibet cogitatio prava separet à DEO? & quid sit separari à DEO? Ex 2do textu resolvendum est quid Virtus? & utrum omnis probata? 2do quibus modis probetur.

QUAN-

QUANTUM ad Imum.

Undenam proveniant cogitationes pravæ?

Origo cogitationis pravæ.

Certum est ex multis capitibus illas provenire. Imo ex Corporis humorumq; temperamento, ac constitutione hominis. Sæpe enim cogitationum mobilitas ac instabilitas provenit ex ignea hominis indole, ex Sanguineâ verò & humidâ, provenit earundem levitas, & dissolutio.

2dò ex mala consuetudine, quâ imaginandi vim, sine lege vagari ab infantia permisimus, quæ huic nocivæ libertati assveta vix frenum admittit.

3tiò Oriuntur cogitationes pravæ ex neglecta sensuum custodiâ, ut S. Ambros: de fuga sæculi notavit, ubi dicit: *Respexit oculus & sensum mentis avertit, audivit auris, & intentionem inflexit, exhalavit odor, & cogitationem impedivit.*

4tus fons earum in affectibus animi parùm castigatis consistit; cùm enim unus ex illis, in nobis vehementiùs exsurgit, quocunq; feratur, eò secum animam rapit. *Ratio* inquit Seneca, *tamdiu potens est, quàmdiu deducta est ab affectibus; commota semel, ei servit à quo impellitur.*

5to proveniunt ejusmodi cogitationes ex suggestione dæmonis, qui ad perturbandos ac decipiendos homines, cogitationum præsertim ministerio utitur. Hinc visus est aliquando tempore sacrificii, capiti puellæ, quæ ad choreas agitandas invitata fuerat, insistere, & saltatoriis instrumentis ludere. Ostensus item est S. Brigittæ à B. Virgine carbones operoso flatu accendere, quo emblemate docebatur, in ejus pectore dæmonis artibus ardentiorem ergà filios amorem excitari, ut eam à suscipiendis pro DEI gloriâ peregrinationibus averteret.

6tò proveniunt ex malo hominum exemplo, maloq; viventium consortio.

QUANTUM ad 2dum

Modus occurrendi pravis cogitationibus.

Quomodo pravis cogitationibus occurrendum?

Imus & universalissimus modus consistit in timore DEI & sedulâ circumspectione hominis, suæ salutis bonum procurantis: quemadmodum enim ordinatè res in ea procedunt familiâ, in qua Dominus, domi se continet, domesticorumq; moribus & actionibus sedulò invigilat; ita in eo corde omnia secundùm legem fiunt, in quo timor DEI præsidet, & unà cum accurata hominis providentiâ, vigilias obit. Unde curare quisq; imprimis debet, ut memoria bonis cogitationibus occupetur, ab otiosis & vanis, ad utiles æternasq; elevetur, & selectis sacræ scripturæ sententiis nutriatur, instruatur, ac recreetur. Imaginativa item Potentia, utilibus repræsentationibus mortis, judicii, cælestis Patriæ, suppliciorum æternorum; detineatur, & ad varias Christi tam nascentis, quàm concionantis, & præsertim patientis efformandas imagines compellatur; lingua & aures sub arctissimæ disciplinæ legibus coerceantur.

2dus occurrendi modus ejusmodi cogitationibus, est fervens Oratio ad DEUM; salutiferæq; Crucis expressio. De Orationis efficaciâ adversus dæmonem, Christus ipse testatur Matth: 26. *Orate ut non intretis in tentationem.* De eadem B. Laurent: Iustin: lib: de Orat: c. 2. *Oratio est animæ Sanctæ subsidium, Angelorum solatium, diaboli supplicium.* Narrat de se ipso D. Hieronymus quòd dies noctesq, integras, ad pedes IESU, cum gemitu orando, & pectus duro lapide tundendo, permansisset, ut tranquillitatem mentis, per suggestiones inimici perturbatam recuperaret; feliciterq; superabat ac propulsabat hostes.

Sanctus Damascenus in vita B. Iosaphat cap: 30. scribit: quòd hic eximiæ virtutis Adolescens, cùm ingentibus exagitaretur tentationibus, confugiebat ad orationem & in has voces erumpebat: *Domine DEUS, tu solus potens & misericors, spes desperatorum & carentium adjutorio; recordare servi inutilis, ac propitio vultu me respice, nec in hostium manum incidere permitte. Non supergaudeant, qui oderunt me inimici, ne me iniquitatibus corrumpi sinas, aut corpus meum, quod tibi castum.*

castum exhibere promitto, dedecore afficere: Te enim concupisco, Te adoro Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in sæcula Amen. Cùm dixisset: *amen*; statim affuit divina consolatio, cujus lumine omnium turpium cogitationum nebula evanuit. De Crucis verò signo & armaturâ, S. Bernardus in meditationibus: *Si pulsat te turpis cogitatio, si premit caro, si dæmon paravit insidias, fuge ad signum Crucis Christi, & liberaberis.* Hoc remedium præscribit & D. Augustinus dicens: *cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Domini mei IESU Christi, & ad viscera misericordiæ ejus, nec alibi efficacius remedium reperio.* Sicut lepores & animalia à venatoribus agitata, ad sua recurrunt latibula; ita tu contra retia insidiantis sathanæ, tutum habes refugium ad Salvatoris vulnera. *Petra refugium herinaciis.* inquit Psaltes.

3tius modus stat in fuga otii tum interiùs, tum exteriùs. Otium enim juxta D. Bernardum: *malorum omnium est receptaculum*: Unde S. Hieron: arbitratur, quòd tantum quisq; se dæmoni subtrahat, quantum otio demit.

4tus modus consistit in frequenti & accurato Sacramenti Pænitentiæ ac Eucharistiæ usu. Nam per pænitentiam purgatur anima, & inducitur odium ac horror peccati. Per usum verò Eucharistiæ acquiritur robur ad vincendas tentationes, juxta illud Psal; 22. *parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.*

5tus est, Memoria DEI præsentis, cujus oblivionem pro causa peccatorum assignat divinus Psaltes, dum ait: Psal: 9. *non est DEUS in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius, in omni tempore.* Multum DEO, sibiq; defuisse existimabat B. MARIA Victoria, si vel unius horæ quartâ parte, cogitationem DEI præsentis non renovasset, quam aliò divertendo, nonnisi fumos & ventos hauriret. Unde senior Tobias proponens filio suo monita salutis, dixit ei *omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto DEUM, & sic fiet, ut nunquam consentias peccato.* Et certè, sicut solis præsentia dissipat tenebras, ita cogitatio præ-

sentiæ DEI dissipat omnem peccati umbram & caliginem, juxta illud: *si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Miles qui in præsentia Ducis præliatur, non facilè animum despondet. Et in militia Spirituali, feliciter quisq; contra hostes animæ dimicabit, si Ducem suum DEUM præsentem considerabit, & in ejus auxilio confidet.

Refert Dorotheus Abbas, se cuidam discipulo suo, noviter vitam monasticam amplectenti, hoc præceptum dedisse: *nunquam cordi tuo DEUS excidat: semper cogita præsentem, & te coram illo stare.* Sedulò id observavit, & ex juvene dissoluto, ad perfectionis & eximiæ Sanctitatis gradum, quinquennii spatio, eluctatus est.

QUANTUM ad 3tium

An quævis cogitatio prava separet à DEO?

Quandò cogitatio prava est peccatum.

Certum est imprimis omnia peccata de corde & cogitatione procedere, prout ipse Dominus Matth: 12. loquitur: Nam priùs homo cogitatione rem voluntati proponit, priùs consentit & constituit internè, postea ad opus & executionem descendit. Propterea Chtistus Dominus appellat cor hominis, thesaurum boni & mali, dicens: *Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo, de malo thesauro profert mala:* Matth: 12. Certum item esse debet quód non omnis cogitatio prava sit peccatum, consequenter non omnis separet à DEO. Cùm enim nihil separet à DEO, nisi peccatum, & non omnis cogitatio prava est peccatum, non omnis cogitatio prava, sed sola peccaminosa separat à DEO. Sciendum porro est, quòd cogitatio quamvis pessima, dum illam vel animæ hostis, nobis immittit, vel illam sensus, aut aliæ causæ ingerunt; si illâ non delectamur, nec illi consentimus, nullum peccatum faciat, quin imò resistentia & conflictus cum eâdem, ejusq; prompta rejectio atq; victoria, meritum apud DEUM conciliet. Delectatio verò aliqua, circa malam cogitationem, sine consensu in actum peccaminosum, longiorq; ejus in corde, voluntaria, ac cum reflexione deliberata retentio efficit peccatum majus vel minus. Sed accedente delibe-

liberato & pleno consensu in peccatum mortale, quamvis executio non sequatur, jam in corde ipso est peccatum mortale. Hac de re talem doctrinam S. Iacobus in sua 1. Epist: reliquit: *Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Et hic est primus gradus, in quo peccatum non est, cum malæ concupiscentiæ resistimus; vocaturq; suggestio. Alterum gradum addit: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Hoc est, cùm illa concupiscentia admissa fuerit ad cor, tanquam malum semen, delectatio verò, non plenè cum integra deliberatione accesserit sine consensu perfecto; peccatum est. Sed non tale, quod mortem adferat; veniale enim tantùm est. Hic 2dus gradus dicitur delectatio. Postquam autem ad 3tium gradum ascenderit, integerq; & deliberatus consensus ad peccandum fuerit, tum temporis teste S. Iacobo: *Peccatum cum consumatum fuerit, mortem generat.* Ubi non loquitur de opere, sed de ipso in corde consensu, & hic 3tius gradus appellatur consensus. Ex quo colligitur 1mo de fide esse, non solùm opus externum, sed etiam internam cogitationem cum pleno in aliquid grave consensu, esse peccatum mortiferum, ut etiam constat ex Matth: cap: 5, Colligitur 2do separari à DEO, nihil aliud esse, quàm privari vitâ animæ, consistente in gratia sanctificante, exuiq; filiationis Divinæ prærogativâ & jus hæreditatis ad cælum, perdere per peccatum mortale.

Circa 2di textûs difficultates sciendum 1mo Nomen Virtutis diversimodè posse accipi. Aliquando enim accipitur pro Angelis, ad quos pertinet miracula facere: in quo sensu canit Ecclesia: *cæli cælorumq; virtutes, sociâ exultatione concelebrant.* Aliquando usurpatur pro quâcunq; rei perfectione ad efficiendum aliquid, sive hæc perfectio se habeat per modum Potentiæ, sive per modum habitûs, sive per modum actûs, sive per modum dispositionis aut conditionis. In quo sensu Psal: 32. dicitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Interdum sumitur pro effectu & operatione alicujus perfectionis, præsertim excellentis. Sic Ioëlis 2, habetur: *Ficus* *Quid Virtus?*

& vinea dederunt Virtutem suam. Sumitur deniq; pro habitu bono operativo. In quo sensu accipitur virtus propositi textûs, juxta aliquorum Interpretum doctrinam. Derivatur autem Nomen Virtutis juxta aliquos à Viro, quasi virum tueatur & deceat; juxta alios à vi, quòd Virtuosus sibi vim faciat, aut quòd virtus ad magna, vim conferat. Sancti Patres Virtutem describunt per analogiam ad lucem; & oppositum ei vitium per analogiam ad tenebras. Sic Nyssen: ait: sicut lux est vera qualitas habens essentiam & existentiam, tenebræ verò sunt solùm lucis privatio; ita & virtus solidam habet subsistentiam, vitia verò virtutis tantùm sunt privatio Et Olympiod. dicit: sicut lux fugat tenebras, & tenebræ lucem, sic pellit virtus vitium, atq; vice versa vitium virtutem. Tandem, ut alios omittam, Cornel: à lap: hanc affert analogiam: Lux dirigit omnes hominis gressus, & actiones; tenebræ verò utrumq; impediunt, sic virtus dirigit omnes hominis operationes, quas vitium perturbat & pervertit

Non omnis Virtus probata.

Sciendum 2do. Non omnem Virtutem esse probatam: magno enim & longo labore opus est, ut virtus solida & probata comparetur. Propria quemq; docere potest experientia, quàm strenuè sit laborandum, quanto tempore expectandum, quæ superandæ difficultates, sufferendaq; molestia, antequam perfecta humilitas, sui contemptus, vera castimonia, mansuetudo, patientia, odium avaritiæ &c: in animum inducatur; antequam & alias virtutes, ad quas à natura exiguam sanè scintillam habet homo, amare condiscat.

Quibus modis probatur Virtus?

Sciendum 3tio quòd Virtutis probatio consistat imprimis in serie actuum suorum, frequentiq; exercitio, juxta illud Christi Matth: 2. *Arbor bona bonos fructus facit* Deinde probatur potissimùm Virtus per adversa. Hinc S. Gregor: 21. moral: c. 18. ait: *Ecce inter adversa validius fidei robur emicuit: ecce concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutum.* Et Psal: 65. *Probâsti nos DEUS, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum.* Inde Ovidius lib: 4. Trist: eleg: 3.

Ma-

Materiamq; tuis tristem virtutibus imple.
Ardua per praeceps, gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica Virtutis, per mala, facta via est.

ANNOTATIONES.

VARIÆ in 1mo propositi versûs textu reperiuntur circumstantiæ eruendarum moralium doctrinarum, & imprimis quòd perversa cogitatio hominem pervertat, non homo cogitationem rectificet.

2do, quòd cogitatio accipiat nomen perversæ ex, eo quia separat à DEO.

3tio quòd ista cogitatio, quæ hominis partus est, in hominem agat &c.

ANNOTATIO Ima.

PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO.

INtelligamus, quæ sacer textus proponit. Venit cogitatio perversa ad hominem conjunctum cum DEO; & quod mirandum est, non homo perversam cogitationem ad bonum direxit finem, sed perversa cogitatio à summo Bono avertit hominem; ita nempe citiùs à malo bonus pervertitur, quam malus à bono rectificetur.

Optimè hanc veritatem tali similitudine deducit Aristoteles sect. 7. probl. 1. dicens: *Ab ægritudinibus quibusdam, ægrotant appropin-*

quan-

quantes sani, nullus autem ex hoc, quòd sanis appropinquat, curatur. Congruè malis accommodari potest, quòd carboni alios nigredine inficienti additum legimus: *si tangit, tingit.* Poma quamvis Sanissima contrahunt putredinem in commertio putridorum, nunquam verò putrescentia poma convalescunt à Societate meliorum. Hinc D. Bernard: lib: 4. ad Eugen: tali exhortatione deterret eundem à prava Societate: *Veniamus*, inquit, *ad collaterales tuos; si hi boni sunt, sibi potissimùm sunt; si mali? æquè plus tibi; ne te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum; malis innitentem. Nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente.* Item S. Hieron: in Epist: de vitando suspecto contubernio, hac comparatione dictam veritatem illustrat: *Quis unquam juxta viperam, securos somnos capit, quæ & si non percutiat, certè sollicitat.*

Citiùs boni à malis pervertuntur quā mali à bonis meliorentur.

Levitici 13. Mirabilis in veteri lege præscribitur habitus, quem leprosus sanari cupiens adhibere debuit: *Habebit*, inquit textus, *vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Ubi singula pene verba, mysteriosi aliquid præferunt. Prætermissis tamen aliis, illud hîc consideremus, cur leprosus, qui fuit imago peccatoris, os veste obturare? cur seipsum contaminatum ac sordidum proclamare tenebatur? Afferam rationem Procopii, meamq; adversionem adjungam, sic itaq; dicit ille: *Ne loquendo odor horrendus diffundatur, nec docere alios præsumat, ne dicatur ei: Qui prædicas non furandum, furaris.* quasi hic S. Doctor insinuare vellet: faciliùs esse ut suâ graveolentiâ peccator alios inficiat, quàm ille sanetur; proinde tegendum illi os fuerat, ne diffunderetur lues ac infectio in alios. Cur autem clamare se sordidum lege cogebatur? potest ima esse ratio: quia præsentissima scelerum medicina in ore peccatoris, si illud aperuerit ad sua peccata confitenda, clauserit ad excusanda.

Scelerum medicina in ore peccatoris confitentis.

Joannis 11. Suscitaturus Christus Dominus Lazarum, magnà voce clama-

clamavit: *Lazare veni foras.* S. Greg: hom: 26. in Evang: mysticè hunc locum interpretatur: *Lazaro nequaquam* dicitur: *Reviviſce, ſed veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur, ſed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur. Cur reatum tuum, intra conſcientiam abſcondis? foras jam per confeſſionē egredere, quia apud te interùs per negationem lates. Venit itaq; foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator.*

S. Ambros: lib: 4. in Luc: cap: 5. examinans cur in ore piſcis drachma repertum ſit? dicit: *Drachma non otiosè in ore piſcis inventum eſt. Ex ore enim tuo juſtificaberis: Etenim pretium noſtræ immortalitatis eſt, noſtra confeſſio.*

S. Birgitta videns animam ſui mariti in purgatorio; quæſivit: *O felix anima! quid tibi præcipuè profuit ad ſalutem?* reſpondit: Confeſſio mea, quam ſextis feriis facere conſueveram, cum firmo emendationis propoſito. Ita medicinam ſuis peccatis parat, quisquis ad confitenda peccata os aperit.

Potior tamen altera videtur, petita à ſimili: ſicut enim peſte infecti homines tenentur monere appropinquantes ſibi, ut caveant ſuum conſortium, ne aſſociati inficiantur; ita etiam in veteri lege clamare ſe contaminatos & ſordidos debuerant leproſi, ut alios à ſui commercio arcerent; hac ipſâ lege volens Deus cautos nos reddere, docereq; quòd perſæpe faciliùs id eveniat, ut bonus à malo corrumpatur, ac depravetur, quàm malus per bonum melioretur. In quem ſenſum optimè D. Greg. Nazian: ait: *Faciliùs eſt vitium contrahere, quàm virtutem impertire, quemadmodum etiam faciliùs eſt morbo alieno inſici, quàm ſanitatem largiri.* *Societas prava vitanda.*

Matth: 18. Quid eſt quòd Chriſtus Dominus manum aut pedem ſcandalizantem, non curare & ſanare, ſed abſcindere & projicere imperet, dicens: *ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eū,*

& projice abs te. In quem locum scribens S. Chrysost: hom: 60. dicit: *non hæc de membris dicta sunt, sed de amicis ac necessariis, quos quasi membra, nobis conjunctos ducimus: nihil enim ita perniciosum ac pestiferum est, ut consuetudo pravorum hominum & conversatio.* Ubi satis evidenter ostenditur veritas præsentis annotationis. Vidit enim Christus majus periculum esse ex mora conjunctionis boni cum malo, quàm spem correctionis mali per bonum, proinde huic magis consulendum censuerat, quam illius sanandi curam committendam. Recté D. Chrysost: in Psal: 4. *Neq; feræ ita pungunt ut hominum improbitas; illæ enim venenum apertè præseferunt, hi autem insensibiliter & absq; ullo strepitu virus quotidie immittunt.*

Danielis 2. *Statua magna, & statua sublimis stabat, abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, contrita sunt pariter omnia.* Quæ occasio tantæ ruinæ? non alia, nisi conjunctio & arcta colligatio aurei capitis, argentei pectoris cum fictilibus pedibus; si enim hisce tanquam instabilibus & luteis non adhæsisset caput, non adhæsissent humeri, nunquam ad ejusmodi inclinarentur ruinam. Percussa pedum pars fictilis misere ruit, ruit & tanta plurium metallorum collectio, non juverunt æstimandæ manus, cadentes pedes, non consuluit aureum caput, ne fictiles attererentur plantæ, in ruinam verò omnia trahuntur præcipitis lapsu pedis, ut eodem juncta involverentur casu, sepelirentur in cinere. Hinc S. Chrysost: super Matth: scribens; salutarem proponit doctrinam, omnes volens reddere cautos; ubi dicit. *Rerum naturâ sic est constitutum, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur.*

ANNOTATIO 2da.

PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO

Lignum animadversione proponit sapiens. Vix cogitatio unitum per gratiam Deo, hominem separare incipit à Deo; vix cœlestem dissolvere conjunctionem, perversæ nomen accipit, *Perversæ cogitati-*

gitationes separant à Deo. Nempe perversitatis notam haud effugere potest, quisquis Schismatum, divisionum, separationum author est.

Perversi hominis est divisiones facere.

Actor: 10. Valedicens Doctor Gentium Ephesanis, prædicit illis quòd post suam discessionem exurgent aliqui tales, qui Ecclesiæ unionem scissionibus turbabunt, pro sua quisq; parte collecturus populi divisionem. Audiamus quomodo ejusmodi homines describantur? quo titulo nominentur? *Ego scio*, inquit D. Paulus, *quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces, in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Imum est quòd in hac prædictione, considerationem meretur: quia scilicet S. Doctor vocat tales homines, *lupos rapaces non parcentes gregi.* Quæ ratio? plures quidem afferri possent. Tum quia indignus ille bono nomine, qui non cum una aliqua ove rixatur, sed toti non parcit gregi, universam infestat Rempublicam, perturbat civitatem, dividit communitatem. Tum quia cum lupis ad sylvas relegandus est, qui ut suam rabiem expleat, adversus totum collectarum ovium agmen dentes acuit. Potissimùm tamen ex eo: quia illi omnes totius humanitatis exuunt animos, alienamq; induunt naturam, & quodammodo in alios pervertuntur, qui collectum gregem dispergunt, juxta illud Joan: 10. *Lupus rapit & dispergit oves.* 2dum expendendum occurrit: quòd Gentium Doctor sumat argumentum perversi sermonis, ex hoc quia abducent post se discipulos: *Viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Nempe ubi multi sunt viri, quorum singuli volunt post se abducere, suiq; non Christi, ac virtutum sequaces facere, communitatis unionem dissolvi necessum est, consequenter autem ejusmodi divisionum authores, haud perversitatis notam effugere poterunt. Unde S. Bernard: serm: 29 super cantica exclamat: *Væ homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur, judicium profectò portabit, quicunq; est ille.*

ANNOTATIO 3tia

PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO.

Cogitationem homo producit, & perversa cogitatio hominem abducit à Deo, ut oriatur in mente vitalis imago, facit homo, ne homo animetur Deo, efficit cogitatio: ita nimirum, hisce quæ paramus, perimus telis: Non aliunde proveniunt, sed in nobis ipsis nascuntur mala, quæ nos perimant. Frustra alienæ industriæ, suorum quisquam malorum, causas attribuit, ipsius hominis ingenio, hoc malum stetit, quo premitur.

Quisq; suorum causa malorum.

Intra se vermem nutriunt poma, à quo consumantur. Suis tineas alunt foliis volumina, per quas corrumpantur. Intra viscera suscipiuntur toxica, quibus hominis tabescant membra.

1. Reg: 5. Optimè dicta veritas illustratur ex pœna idoli Dagon: *Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra, coram arca Domini; caput autem Dagon & duæ palmæ manuum ejus abscissæ, erant super limen.* Cætera intermitto, unicum ad disquisitionem assumo: cur super limen, caput manuumq palmæ abscissæ? Si ex altari detrusus Dagon, cur manus eius cum capite, usq; ad ostium projiciuntur? & in ipso ponuntur limine? Mirabitur fortassis non nemo idolum illud, ante Arcam Domini, confractum jacere, authoremq tam luctuosi casus, majori solicitudine investigare conabitur; sed in ipso limine advertens caput & manus abscissas, facilè subinferet, has ipsas manus eam sibi elaborasse stragem, ipsius idoli erectum caput, hoc malum cogitavit, quod effecêre propriæ manus. Vides dispersa confracti idoli membra, ne erres, alteri adscribendo cladem, hisce manibus attribue, quidquid mali spectas. Non aliâ viâ, quam per manus in limine expositas hæc venit ruina, Eximiè in hanc sententiam discurrit massiliensis Ecclesiæ Presbyter Gennadius in catal: virorum illustr: dicens:

Propria manus mala parat.

Nos

Nos adversum nos, omnia facimus. Nihil est in nobis, crudelius nobis, nos etiam Deo nolente cruciamus nos. Et certe in idolo ita punito, peccatoris designatur supplicium, illius ruina, peccatoris adumbrat ruinam: manus ergo Dagon in portæ aditu ponuntur, ut in primo ingressu cuiq; pateat, per has, totum illud malum irrepsisse, quod spectandum proponitur. Rectè id symbolo videtur expressum, in quo perdix suà pennâ in cerebro confixa refertur, cum inscriptione: *Heu patior, plumis, vulnera facta meis.*

Scribit Drexel: Trismegist: de cultu corporum lib. 3. c. 3. quòd apud Ægyptiacam mulierem, unà cum filiolo ejus, crocodili educaretur catulus, qui ibidem pro DEO habetur & colitur, hic dum adhuc infirmis esset viribus, cicur colludebat puero, sed aucto corpore, ingenium detexit, puerumq; cum quo in eadem domo nutriebatur, misere dilaniavit. Quid peto molles animæ, nimiùm proprio indulgentes corpori, aliud curant & educant? nisi crocodilum, qui suos nutritios, omnibus oppugnet membris ac prosternat. Ita in sinu proprio capitalem nutrimus hostem, & intra nos lethum est Androgeo. Optime ad rem nostram Seneca Epist: 82. alludit: *Malitia ipsa, maximam partem veneni sui bibit.* Non aliena manus nobis venena miscet, ipsi nobis paramus toxica, quibus pereamus.

Peccata cur nubi ac nebulæ comparentur?

Esaiæ 44. mirâ utitur metaphorâ Dominus in explicandis hominum peccatis, ubi sub nubium & nebulæ appellatione iniquitates hominis exprimit dicens: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Quam similitudinem habent peccata cum nubibus & nebula? plurimæ quidem cogitari possent. 1mo, quia sicut nubes & nebulæ eripiunt nostris oculis solem, ita & peccata eripiunt homini Solem Justitiæ, privant gratiâ & lumen rectæ rationis obfuscant. 2do, Quia sicut nubes ex minimis humoribus condensantur & coacervantur, ita plurimæ iniquitates ab exiguis defectibus ad prægrandem ascendunt molem: à levibus enim facilè datur progressus ad mortalia. 3tio, quia sicut à nubiloso cœlo tempestates, ful-

gura, tonitrua ac fulmina procedunt, ita ab iniquitate in corde hominis conceptâ, omnis perturbatio mentis generatur. 4ta, tandem rei præsentis confirmativa similitudo peccatorum cum nubibus ac nebulis esse potest: quia ex una parte nubes ac nebulæ sunt quoddã irarum cælestium receptaculum; ex iis enim fulmina in terræ sinum contorquentur, fulgura erumpunt, inundationes aquarum defluunt; ex altera parte, si origo nubis spectetur, formatur ex vaporibus, quos terra exhalat. Sicut itaq; ex vaporibus è terra sublatis, & in nubem condensatis, descendunt iræ celestes, terroremq; terris incutiunt, ita ex peccatis hominum formantur, quæ illos ipsos á quibus prodeunt, opprimant calamitates. Ipsius hominis peccatis Divinæ vindictæ ignis accenditur, & in dies pabulum suppeditatur, ut Gennadius supra citatus subdit: *Nos cælestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus, ut ad nos dici illud Propheticum, possit: Ecce vos omnes accendistis ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, in flammis, quas succendistis* Isai 50.

Aliam Origenes lib: 2. Periarch: c. 11. subnectit hujus veritatis similitudinem, dicens: *Arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas & quantitas cibi febres generant & febres diversi modi ac temporis, secundùm eam mensuram, quâ intemperies collectam materiam suggesserit, ac fomitem febrium: quæ materiæ qualitas ex diversa intẽperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit; ita anima cùm multitudinem malorum operum, & abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore, omnis illa malorum congregatio effervescit, atq; supplicium inflammatur ad pœnas.* Quasi diceret, non aliunde in nos descendunt, sed intra gignuntur, quæ nos perimant mala, quisq; propriis manibus hæc sibi parat, quibus premitur aduersis.



ANNO

ANNOTATIO 4ta

PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO

QUid est, quòd sapiens perversas & non potiùs pervertentes appellet cogitationes, quæ separant à Deo? si homo per cogitationes à Deo avertitur, ac separatur, homo perversus efficitur, & cogitatio pervertens, seu causa perversionis est, cur itaq; cogitatio, quæ ad pervertendum hominem ordinabatur, etiam ipsa perversa reperitur? nempe sibi quisq; nocet, & se ipsum subvertit, qui aliis nocere, eosq; subvertere conatur, quæ aliis capiendis paravit quispiam, hisce retibus capitur ipse, juxta illud Eccl: 18. *Qui foveam fodit, incidit in eam, & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum aliis posuit, peribit in illo.*

Sibi plus nocet qui aliis nocere cupit.

Aptè ejusmodi homines ad aliena destinatos mala Basilisco conferre possumus; serpens ille est in Africa, pedali magnitudine, albam maculam in capite, velut coronam præferens, unde latinis regulus dicitur, tantæ virulentiæ, ut solo aspectu, vel sibilo, auras inficiat, plantas urat, ita tamen ut eodem obtutu ac halitu quo alios necat, se ipsum interimat; dum sibi virus insitum afflat: nam teste Causino in symbolis lib: 9. symb: 19. si se intueatur in speculo, repercusso in se halitu, propriis telis enecatur. Luculentum malitiosi hominis emblema, qui suo se gladio configit, quem in alienum parabat jugulum, suis se laqueis induit, quibus alios irretire conabatur. Unde S. Bernardus quendam ex malevolis, hisce affatur verbis Epist: 7. *O quis quis es, qui saluti invides alienæ, parcito vitæ tuæ, si enim ubi invidia, ibi mors, profectò non potes simul invidere, & vivere.*

Rectè Roterodamus comparat eosdem Api, quæ lædens alios, amittit aculeum, jamq; nec nocere potest cuiquam exarmata, nec sibi ad mellificium, vitamq; longiorem prodesse.

Vel

Vel certè fragili vitro comparandi sunt, inter lapides projecto, quod in eo, quo petiit saxum, frangitur ictu. Sunt adinstar aranearum, quæ capiendis muscis dolosa contexunt retia, in quibus tamen, eviscerantur & ipsæ. Aptissimas quoq; sancti Patres afferunt similitudines, eandem rem elucidantes. Et imprimis Sanctus Hipponensis Præsul Augustinus, tali utitur argumentatione. *Tanquam si quispiam, inquit, veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat, & tanquam si foueam quisquam fodiat, in quam quisq; inimicus in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat, ambulans eâ viâ, priùs illuc cadat: Ita credite, ita certi estote, videte, prospicite, quia nemo malus, qui non sibi priùs noceet. Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem: Incendere vis aliquid aliud, illud quod admoves priùs ardet: nisi ardeat, non incendit; facula est quam apponis? prior ardet, ut aliquid possit incendere. Malitia autē procedit ex te, & quem priùs vastat, nisi te? Quò profundit ramum, lædit: ubi radicem habet non lædit? Equidem dico, quòd malitia tua, ut alteri noceat, fieri potest, ut autē tibi nō noceat, fieri non potest.* In Psal 34.

Deinde S. Chrysost. hom: 1. ad hebr: talem adhibet comparationem. *sicut aqua, sive salsa sit, sive potabilis, & vasa replet haurientium, & suum fontem, ex quo manat, nequaquam vacuum remanere permittit, sic & nequitia, unde processerit, illum procreatorem primitùs consumit.*

Tandem S. Athanasius de Passione Domini, hac similitudine rem illustrat: *Quemadmodum si quis serpentem apprehendat manu, dumq; conatur in alterum projicere, prorsus ipse mordeatur: aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligat, quòd ipse prorsus exuritur: sic malitia militat adversus eos, qui ipsâ utuntur, magisq; lædit eos, à quibus habetur, quàm eos, in quos intenditur.*

Plurima tum ex sacris paginis, tum ex historiarum voluminibus, peti possunt exempla, quæ propositam veritatem comprobent. Et imprimis (si fidem damus Tragicis) Diodemes Rex Thraciæ, suis equis hospites suos apponebat laniandos, demum & ipse laniatui, ab Hercule datus est illis ipsis convivis.

Plini-

Plinius item libro 34, nat. hist: c. 8. narrat, quod Perillus novum crudelitatis inventum, taurum æneum artificiosissimè extruxerit, mugitus humanos pollicitus, sed ad hunc ipsum, cui suis manibus vehementes flammas subdiderat, primus ipse subiit, & ex illo lento igne, male tostus immugiit. Unde canit Ovidius de art: *Quæ aliis paravit ipse subit tormēta.*

Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit auctor opus.

Anno 1084. Henricus III. Imperator cum Romæ degeret, in Aventinum montem se receperat, ut sibi & Deo vacaret impensiùs, ad Beatæ Virginis ædem sæpiùs itare solitus, interim de infima plebe homo nefarius, ipsa oportunitate loci invitatus, necem Imperatori moliebatur, ingensq; saxum in transeuntis caput devolvere cogitabat, sed dum occasionem avidè captat, dum saxum parat, adducit, movetq; impar tanto ponderi, ipse cum saxo præceps devolvitur & occumbit, effecitq; ut de se pronunciaretur illud Eccl. 27. *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* Et Psal. 7. *Convertetur dolor eius, in caput ejus, & in verticem ipsius, iniquitas ejus descendet.*

Baronius de Stilicone ad annum 398. 403. 48. & de Eutropio ad annum 399. inter alia plura refert, quòd juribus immunitatis ecclesiasticæ adversarentur; quorum primus quendam è militibus Cresconium, Mediolani ad templum, Salutis causâ, se recipientem, per vim avulsit, nec quicquam obsistente D. Ambrosio. Alter instigator Arcadio fuerat sanctionis conscribendæ, quâ Ecclesiis, jus asyli adimebatur. Sed brevi uterq; cogebatur legem pati, quam ipsi in alios tulêre, rediitq; in utriusq; caput pœna talionis. Nam Stilico perduellionis incentor, cum suis Ravennam elapsus, intempesta nocte in Basilicam, asyli gratiâ confugit. Inde per milites non sine dolo extractus, & capite plexus, haud sanè dignus inveniebatur, quem immunitas Ecclesiæ tueretur, qui ejusdem jura violare ausus est. Eutropius quoq; falsorum licet Deorum cultor, nihil priùs in suæ vitæ periculo habuit, quàm ut ad Christianorum templum, perfugii causâ se reciperet, sed primus in se

legem Sacrilegam experiri coactus, quam apud Arcadium evicerat; sub altari quidem se abdidit, sed capitale supplicium non effugit, suo exemplo declarans, quòd illi, qui aliis nocere volunt, sibi plùs nocumenti afferant, malumq; aliis paratum, suo ipsi capite luant.

Puteanus hist: Ital: scribit de Rosimunda Alboini Longobardorum Regis Consorte, quæ cædem machinata marito, venenum miscuit, obtulitq, è balneis egresso. Sensit ille confestim, poculo necdum epoto pestem membris receptam; proinde recusantem licet, coegit conjugem ut reliquum ebiberet, hausit ipsa stricti pugionis timore inclinata poculum à se dilutum, & unà cum marito extincta est, ut rectè dixerit Seneca: *Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit.* Sed jam ad Sacræ paginæ progrediamur testimonia. Estheris annales referunt Esther 7. Amanum Principem, Regis Assueri Dinastam, Mardochæo viro integerrimo patibulum quinquaginta cubitos altum erexisse. Jam pæna in miserum constituta erat; jam de vita Mardochæi actum videbatur, cui nihil restabat, nisi ut collum laqueo indueret. Collacrymabantur amici, dolenti animo iniquam Mardochæi ferentes sortem, exultabat Aman alieno exitio felicem se futurum putans. sed ô rerum vicissitudinem! non Mardochæus, sed ipse suspensus est Aman in eodem patibulo, quod paraverat Mardochæo, ut verè Ecclesiastes prænuntiaverit: *qui laqueum alii ponit, peribit in illo.*

Danielis 6. stimulati invidiâ adversus Danielem Satrapæ Medi, subdolis eum, falsisq; accusationibus evertere conabantur, & Dario Regi exosum reddere. Nec sufficiebat innocentem famâ exui, nisi vita simul eidem adimeretur; proinde Leonibus in prædam exponendum decreverunt; Ut verò obsequentiores feras ad sua vota haberent, dierum aliquot fame, acuebant leonum dentes; expeditiùs in propositi Danielis corpore atterendos. Verùm suo ipsi servierunt exitio: secura enim inter rabidas etiam belluas, mansit Innocentia, & alteri intentatam subiit Satraparum malitia pænam; ubi insons Propheta de lacu sanus educitur; impiissimi verò accusatores cùm ex mandato Principis, eandem

viam

viam ad Leones ire cogerentur, non rediêre ampliùs, hisce ipsis contriti dentibus, quos livor eorum, armaverat in Danielis membra. Ita de illis sacer textus loquitur: *Viri illi, qui accusaverunt, in lacum leonum missi sunt ipsi, & uxores eorum, & non pervenerunt usq; ad pavimentum, donec arriperent eos, leones, & ossa eorum comminuerunt.*

Danielis 13. Nequissimi duo vetuli, alienæ pudicitiæ Subsessores, illis ipsis obruti sunt lapidibus, quos ad castissimæ Susannæ necẽ præparaverant. Facit huc quòd Florimund: Remundus lib: 7. de origin: hæres: c: 17. recenset de Perrino è Calvini schola, homine factioso, qui ex ara Sacrum lapidem in quo Christi Corpus offerri consveverat, in infamem supplicii locum, ubi rei plectebantur, transferri curavit, ut deinceps maleficorum sanguine respergeretur. Sed miser, ipse, prima victima ad hoc altare cecidit. Proditionis enim insimulatus, super hunc ipsum lapidem, quem aliorum sanguini excipiendo supposuerat, capite plexus occubuit, suoq; confirmavit exemplo, quod sapiens prædixerat: *Qui transfert lapides, affligetur in eis.*

Matth: 18. Proponit Christus parabolam de quodam decem millium talentorum debitore, hic ubi delatus ad Dominum, vocaretur in examen, nec unde tantum redderet debitum, inveniret; procidendo ad genua Domini, rogare cæpit. *Patientiam habe in me, & omnia reddã tibi.* Advertens Dominus submissionem servi, misertus est illius, totumq; debitum dimisit ei. Servus autem magnam sui Domini benevolentiam expertus, haud ad eandem per conservi preces flectitur, sed obvium sibi premit, severiùsq; centum asses exigit, quos concesserat eidem, nec implorantem dilationis spatium, audire dignatur, carcerem tantùm & extrema quæq; minatur, nisi ad ultimum assem, exiguum satis debitum persolveret. Devenit tam inhumana actio in notitiam Domini, qui justâ succensus irâ, tradi tortoribus ingratum servum curavit, teneriq; tamdiu angusto ergastulo imperavit, donec & ipse dimissum aliàs sibi, integrum non redderet debitum. Ex qua narratione talis quæstio erui potest: quænam causa fuit tam subitæ mutationis in

prædicto Domino? Non pridem ad unicam submissam venerationem, insolubile plane debitum, benevolentissimè suo servo dimisit, brevi verò interjecto tempore, iratus tradidit eum tortoribus; & quem paulò antè gratiosissimè supplicem accepit, nunc vinculis ac tormentis aggravari jubet? ima hujus ratio peti potest, ex ipsis verbis Evangelii, ubi dicitur alios conservos venisse, & narrâsse Domino; unde iratus Dominus tradidit eum tortoribus. Quamdiu alii servi non apparuerunt ante Dominum, quamdiu suas narrationes texere non audebant, tamdiu Dominus benevolentissimus, tamdiu facilè placabilis; vix venerunt, narraverunt, statim implacabiliter iratus est. Ita sæpissimè evenire solet, ut malevolorum lingua per iniquas susurrationes, etiam optimos quosq; depravet. Attendere itaq; deberent Domini, ne nimis credulam aurem præbeant invidentiæ & delationi famulorum, qui livoris plerumq æstu abrepti, variis criminationibus, insimulationibusque falsis, suos conservos exosos heris, reddere attentant. Verùm hi Evangelici servi & vera narrârunt, & intentione rectâ inhumanum agendi modum detulerunt; proinde alia ratio tantæ indignationis Domini, peti potest ex eo, quòd scilicet conservus conservum persecutus fuerit. Minùs fuisset, si alienum sic opressisset, sed quia ejusdem Regis famulum, cujus & ipse fuerat, insectabatur & suffocabat, hoc irritavit Dominum, hoc bilem movit, istud implacabilem meruit iram. Nihil enim intolerabilius, nihil magis alienum à rectæ rationis legibus, quàm quòd se persequantur, qui commune vitæ institutum sequuntur. Hinc etiam D. Hieronymus maximè illo ex capite contra Joannem Patriarcham Hierosolimitanum invehitur, quòd cum ipse ex monacho ad eam dignitatem assumptus fuisset, aliis tamen monachis varia exilia & exitia comparabat, de quo Epist: 62. sic queritur: *Monachus (pro dolor) monachis & minatur, & imperat exilium, & hoc monachus Apostolicā cathedram habere se jactans.* Cæterùm intermissis aliis rationibus, non aliam hic, nisi malevolorum recludi scenam intelligo, qui iisdem adstringuntur vinculis, quæ ad alios vinciendos præpârarunt, in eundem

introdu-

introducuntur carcerem, quem aliis apertum esse contendebant. Tunc primùm Dominus iratus, tradere tortoribus servum legitur, cum hic suum suffocaret conservum, carceremq & vincula eidem imponenda curaret, ut palam esset, sibi quemq; hac ipsâ nocere arte, quâ in aliorum utitur malum. Nimirum servus ille, non est misertus conservi sui, tenens suffocabat eum, postulantis perces surdâ excepit aure, misit eum in carcerem donec redderet; hanc ipse miseram subiit sortem: *Iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet universum debitum.* Nunquam ô miser! tantas devenisses in angustias, nisi te tua præcipitasset malitia.

Theophilus Raynaudus in Prato spirituali § 82. refert, quod Dolæ apud Sequanos cùm sæva pestis grassaretur, rusticus lue contractâ, ab hero domo suâ exactus, cùm hàc, illacq; aliquamdiu incertus oberrâsset, adextremum præ lassitudine, projecit se subter unam arborem, tantillum quietis capturus. Ibi cùm jaceret, prosiliens è vicina sepe anguis, involat in panum, seu ulcus, luis pestilentis, quod rusticus collo nudo, tetri ac diri puris plenum præferebat, exsugitq; penitus abditam saniem. Discusso ad eum suctum sopore rusticus, non absq; horrore assurgit, miratus se sanum, ac peste prorsus liberum : serpentem verò ob hausti veneni virus emorientem. En malevolorum Genium, qui hoc ipso ictu ac vulnere, quo alios conficere cogitant, seipsos interimunt. Unde S. Chrysost: serm; 152. ejusmodi hominem, ita describit: *Impietatis auctor, pietatis prædo, hostis naturæ, inimicus innocentiæ, malus omnibus, pessimus sibi.*

ANNOTATIO 5ta
PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT à DEO

QUis crederet tenui etiam mentis imagine hominem ab optimo abstrahi Deo? quid cogitatione brevius? quæ unico perit momento, quid illâ magis exiguum? à supremo tamen separat Bono.

Parva magnorũ origo malorum. Ita nempe exigua plerumq;, & quæ nobis parva videntur, ingentium sunt origo malorum.

Frustra rerum æstimationem ex mole petimus; frustra ea parvi habentur, quæ parva videntur. Vipera parva est, sed quia ingens virus habet, non parùm timetur. Quid tenui pilo vilius, & tamen hic cum lacte haustus, Fabii vitæ rupit filum. Mustella Aristidem momordit, & intra brevè temporis spatium extinxit. Anacreontem Pòëtam, & [si fides Luciano] Sophoclem, etiam uvæ acinus suffocavit. Luciam Marci Aurelli filiam, acûs punctiuncula occidit. Rectè S. Chrysost: *Neq; leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit.*

Ex modicis ingens ruina. Olaus lib: 2. c. 13. apud Majolum refert, quòd in Regione Svezia in summo montium Dofriniorum vertice, avicula prætervolans commoverit paululum nivis, quæ particella deorsum sensim descendens, & in pilæ formam sese revolvens, semper aucta, in tantam excreverit amplitudinem, rotata usque ad radicem montis; ut suâ maximâ mole oppida involverit, ac everterit. Ita plane evenire consvevit in præcipiti hominum lapsu, qui ab exigua mali origine, ad extremam descendunt ruinam; ut meritò monuerit sapiens: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Multorum sæpe Dei servorum miramur lapsus, plurimum inante charitate ferventium, desolatæ remissioni indolemus; deploramus non unius viri, pridem spiritualis erubescendam secularitatem subitamq; in pejus mutationem. Quænam verò hujus transformationis, & tam luctuosæ ruinæ-causa? non ingens illa; exigua plerùmq; & minutissima quæq; in tantum valent impellere malum. Hinc verissimè S. Dorotheus dixit: *Rectè agere, & peccare, à minimis ortum habet, & ad magna vel bona vel mala paulatim perducunt.*

Pulcherrimâ id ipsum similitudine declarat D. Chrysost: in Epist. ad Galat: c. 1. dicens: *Quemadmodum in corporibus, quæ vulnera neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem deniq; itidem & in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.* Et certè semina herbarum minutissima sunt, grandis tamen inde frutex subcrescit, ut S. Gregor Nanz: carm: 3. ad Virg: insinuat:

Quis

Quisquis vel tenuem radicem criminis in se,
Excipit: innumeros nam parvo tempore ramos
Hinc, atq; hinc obscura solet diffundere radix.

Non minùs eximiâ utitur similitudine D. Hieron: lib: 3. comment. in Ep: ad Galat: c. 5, eandem rem explicans: *Scintilla res parva est, & pene dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, mania, urbes, latissimos saltus, regionesq; consumit.* Unde Epist: 22. ad Eustoch: de serv: Virg: monet: *Dum parvus est hostis interfice; ne zizania succrescant, elidantur in semine. Audi*, inquit: *Psalmistam dicentem Psal: 136. Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitata petra, autem erat Christus.*

Cant. 2. hortatur cælestis sponsus: *Capite vobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* S. Bernard: in Cant: serm: 64. *Vulpes tentationes sunt? ideo parvulæ, ut nascentia vitia, in ipso ortu vigilanter observans, illicò comprehendaus, ne crescentia plùs noceant, & difficiliùs capiantur.* Vel hoc ipso mellifluus Doctor innuens, non contemnenda esse, quæ parva creduntur; etiam ab exiguo maximum venit malum.

Quidam ingenioso symbolo eam rem adumbrans, aves captas, & oculis orbatas, caveis inclusas, spectantium obtutibus proposuit, brevi lemmate adjecto: *Tam grave servitium, quàm levis esca parit.*

Danielis 2. Statua sublimis stabat, & lapis percutiens eam in pedibus, in pulverem redegit, de quo sic Abulensis: *A vicino monte periculum non horruit, & uni lapidi ferendo par non fuit.* Ita persæpe quos ingentia non frangunt, pusilla devastant, bene proinde D. Ephrem: tom: 2: in doctr: de perfect: mon: docet: *Res nullius momẽti, sæpe magnorum malorum causæ efficiuntur, & ex parva negligentia, ingentia atq; incurabilia fiunt vulnera.*

Plutarchus scribit de Lisimacho Thraciæ Rege quòd siti pressus, cùm se obsidentibus hostibus pro exiguo aquæ haustu simul cum Regno

gno tradidiſſet, exclamavit: *Deos immortales! quæ hæc mea infelicitas, qui me vendidi, totumq́ Regnum meum, tantillo corporis oblectamento.* Utinam non plures, animarum ſuarum, Regniq; cæleſtis jacturam lugeant, propter modica mundi hujus oblectamenta. Infelicem ejuſmodi hominum ſortem deplorat D. Baſilius, in principio Proverb: dicens: *Triſtiſſimum ſpectaculum, poſt vigilias, poſt afflictiones, poſt contentas preces, poſt uberes lacrymas, poſt viginti aut triginta fors annorum continentiam, ob animi ſupinam negligentiam omnibus expoliari. Et quidem id infelix tum vidi, tum audivi, & illacrimatus illacrimor, cogitans quemadmodum tot opes virtutum, à tot annis congeſtæ, uno temporis momento, diaboli periêre fraude.*

ANNOTATIONES

IN textum qui ſequitur: *Probata virtus corripit inſipientes.* variæ poſſunt afferri annotationes, 1mò ex eo quòd non flagellum, non lingua, ſed virtus dicatur corripere inſipientes. 2dò quòd non quævis virtus, ſed ſola, quæ fuerit probata & exquiſita ſerviat ad correptionem inſipientium. 3tiò quod virtus ſolos inſipientes corripiat &c.

ANNOTATIO 1ma.

PROBATA VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.

AD aliorum correptionem, verbis plerumq́, utimur, linguam adhibemus, ora ſolvimus. Sapiens autem ſoli virtuti munus corripiendi attribuit: *Probata virtus corripit inſipientes.* Nimirum plus tacitæ virtutis exempla, quàm docti verba eloquii ad aliorum corre-

correptionem proficiunt. Optimè ille docet, qui bene agit, efficacissimè instruit, qui non tam linguâ, quàm operibus facienda suadet. Sicut non verba, non sonus, sed corporis motus umbram figuræ membrorum persimilem efficit, ita non lingua, sed opera & laudabilia exempla ad formandos insipientium animos, efficacissima sunt. Hinc Cassiodorus lib. 11. var. c. 8. docet: *Non potest authoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo, dum iniquum sit, bona præcipere, & talia non fecisse.* *Exemplum bonum, efficax ad docendum.*

Eidem sententiæ S. Dorotheus subscribit, serm. 17. quendam monens: *Verbo & opere, quæ agenda sunt, illos instrue & doce, magis tamen opere & exemplo: quoniam exempla multò sunt efficaciora, & opera longè magis movent, quàm verba.*

Nec Pacatus in Panegyri Theodosii, encomiorum ac laudis senioris Theodosii ampliorem, sumit materiam aliunde, quàm ex eo maximè, extollens illum, quòd Theodosius non minacibus edictis, sed suæ mensæ parsimoniâ luxuriem conviviorum represserit, adjiciens. *Sic est enim, sic est, exasperat homines imperata correctio; blandissimè jubetur exemplo.* Et jam mirari desino, quòd Sapientissimus DEUS, ad sublimes functiones Jeremiam elegerit: *Prophetam in Gentibus dedi te.* Ier: 1. eumq; Gentium, Regum, ac Principum Doctorem constituerit, licet Ieremias, efficacissimis rationibus, hanc provinciam excusare voluerit, balbum se, & prope mutum ac elinguem profitendo: *A, a, a. Domine DEUS, ecce nescio loqui.* Minùs quippe officit, si cui Prophetarum ac Doctorum deficiant verba, modo laudabilia non desint opera; minùs si quis sermonis elegantiam excolere nesciat, dummodo facta virum probent. Convenienter ad præsentem materiam S. Cyprianus de dupl. mart. ait: *Habent opera linguam suam, habent facundiam suam, etiam tacente lingua.*

Matth. 5. Quid est? quód Christus Dominus Apostolos suos constituens mundi Doctores, & ad Gentes cum Evangelio expediens, hac illos præmonitione instructos esse voluit, dicens: *Sic luceat lux ve-*

Plus valet opera ad persvasionē quā sermo.

stra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Non requirit ab eis, ut longiore alloquio, productiore sermone fatigent aures hominum, multiplicatisq; monitis, ad amplectendam inclinent veritatem. Non elabarata ad excitandos mortalium animos verba, sed luminosam commendat Apostolis virtutem. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra. Nihil enim,* ut S. Ephré: tom : 3. trac: de vita spir. c. 3. 7. ait: *Æqué animum hominis ducit ad salutem, junioresq; ad laborandum incendit, atq; si Doctorem re ipsa, & exemplo ad virtutem, cohortatorem invenerint.* Jam verò Auctor imperfecti commentarii in Matth. hom. 10. hunc ipsum locum Evangelii explicans dicit: *Sic illuminate, docete, non ut verba vestra tantummodo audiant homines; sed ut opera vestra bona videant, ut quos illuminaveritis per verbum, quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum, quasi sales. Quoniam qui docet, & facit quod docet, verè ille docet; qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed se ipsum condemnat. Et meliùs est facere & non docere, quàm docere & non facere; quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit exemplo suo: qui autem docet & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat.*

Joannes Abbas cùm proximus esset morti, & accurrentes ad illum claustri seniores peterent aliquod supremum sibi relinqui monitum; id unum æternâ memoriâ dignum, ad omnium instructionem protulit: *Nunquam alium docui, quod ipse priús opere non explevi.* Quasi vellet innuere, nullum præstantius docendi genus esse, quàm ubi operosa virtus fungitur magisterio. Unde D. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ: c. 27. ait: *Quantâcunq; granditate dictionis, majus pondus habet vita docentis.*

Theodoricus Rex coram Senatu Romano laudans Cassiodorum dicit: *Vixit tantâ continentiâ, ut æquitatem & instrueret monitis, & doceret exemplis, facilis enim recti persvasor est innocens Judex.*

Eximiè hanc prosequitur sententiam D. Chrysost. hom. 12. in

cap: 3. Philip: ubi explanans ea verba Pauli: *Sicut habetis formam nostram*, dicit: de Apostolis: *Quod literæ referebant, illud re ipsa, omnibus conspicuum faciebant. Ea demum est optima doctrina; ita discipulus induci ac persuaderi poterit. Opus est admonitione & inductione, quæ fit ex ipsis operibus: Ipsa quippe, & Doctorem venerabilē facit, & discipulum obsequentem.*

Luc: 18. Dum Christus Dominus prædiceret discipulis imminentem passionem suam: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur &c:* Addit Evangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Ut ergo Christus Doctrinam suam faceret illis perceptibiliorem, ad opera se convertit, inquirens ex cæco adducto: *quid tibi vis faciam?* & juxta desiderium cæci, eundem illuminavit: in quem locum S. Greg: scribens hom. 2. ait: *Ante eorum oculos, cæcus lumen recipit, ut qui cælestis mysterii verba non caperent, eos ad fidem cælestia facta solidarent.* Ut vel inde constet nullam efficaciorem ad persuadendum doctrinam esse, quàm quæ operibus comprobatur.

Optima similitudine id ipsum declarat D. Greg: Nazianz: Orat in plagam grandinis: *Præstantior quidem*, inquit, *meo judicio existimanda est pulchritudo illa, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermonis penicillo depingitur; & sapientia quæ operibus indicatur, quàm quæ verbis splendescit. Intellectus enim*, addit ille, *bonus omnibus facientibus eum* Psal. 110. *non item prædicantibus.* Quibus satis ostendit elaborata verba non esse tam efficacia, ad animum recte instruendum, quàm opera.

Isaiæ 49. *Posuit os meum quasi gladium acutum, & posuit me sicut sagittam electam*, vel ut legitur in hebræo, limatam ac tersam. Ubi D. Cyrillus Alex: per gladium qui est in ore, verba doctrinæ, per sagittam vero electam ac tersam, quæ est in manu, exempla vitæ intelligenda putat. Conferamus itaq; gladium & sagittam inter se; quò sa-

gitta magis penetrat, & ad longius ſpatium pertingit, quàm gladius, eò exempla altiùs & efficaciùs animis imprimuntur, quam verba.

Actor: 9. Eligens Dominus Paulum ut eſſet Doctor Gentium, loquitur de illo ad Ananiam: *Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum, coram gentibus, & Regibus & filiis Iſrael.* Ob quam rationem, cum Paulus eligeretur Prædicator veritatis, vas dicitur DEI Nomen includens, & portans? cur non buccina, aut aliud ſimile nuncupatur? qui Evangelium univerſo orbi annuntiaturus deſignatur, ſed cum experte vocis vaſe confertur? Plùs nimirum tacitæ virtutis exempla, quam docti verba eloquii, ad aliorum inſtructionem proficiunt. Unde D. Chryſoſt: hom: 3. in c. 1. Cor. ait: *Hæc eſt ratiocinatio, cui contradici non poteſt, quæ fit per facta.*

Eſdræ 9. Audivit Eſdras innumera populi peccata, nec tamen legitur eos corripuiſſe, ſed fleviſſe. *Cumq; audiſſem,* inquit textus, *ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mærens.* Ubi Gloſſa ord: *nota,* inquit, *quantùm exempla doctorum juvent;* nihil ſcribitur Eſdras locutus eſſe, ſed tantùm audito ſcelere, lacrymaſſe, & turbam ad ſe fidelium, non vociferando, ſed lacrymando traxiſſe.

ANNOTATIO 2da.

PROBATA VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.

Ad munus corrigendi alios ſola virtus promovere debet.

PLures corripiendi poteſtatem uſurpare ſibi in alios, non ignoravit ſapiens; omnes tamen ab ejus muneris exercitio excludendos putavit; ſoli probatæ virtuti, jus magiſterii, officiumq; correptionis deferendum judicans: *Probata virtus corripit inſipientes.* Virtute enim pollere debet, qui munus inſtruendi alios ſuſcipit. Minùs conſultè jus corrigendi, ac redarguendi alios, ille mortalium ſibi vendicat, cui non ſuffragatur virtus. Hic ad exhortandos alios ſecurè procedit, quem probitas, & morum comitatur honeſtas.

Præ-

Præclaris ad præsens argumentum promovendum utitur similitudinibus D. Gregorius, qui imprimis libr: 3. pastor: c. 16. Adhortatores aliorum, æmulari vult gallum, qui se ipsum præparat, & alis verberans excitat, antequam alios voce feriat; ubi sic ait: *Gallus iste cùm jam edere cantum parat, alas priùs excutit, & se ipsum feriens vigilantiorem reddit.* Item 2. part. pastoral: c. 2. dicit: *Necesse est ut munda sit manus, quæ diluere aliarum sordes curat.* Quemadmodũ enim gallus ut alios elevata excitet voce ad vigilandum, ac de somno surgendum, ipse suarum alarum strepitu excitatus vigilat; & manum, quæ ad eluendas aliorum maculas adhibetur, mundam esse convenit; ita illos, qui instruendi vel redarguendi cæteros munus subeunt, præstanti virtute instructos & a peccatorum labe immunes necessum est. Unde melli fluus Doctor D. Bernardus opportunè monet Epist. 102. *memento etiam voci tuæ, dare vocem virtutis. Quid illud inquis? ut opera tua verbis concinant, imò verba operibus: ut cures videlicet, priùs facere quam docere.*

Aliorum instructor non debet esse tanquam puteus, qui puram aquã aliis exhibet, & sordes sibi semper retinet. Nec illum decet conformari fabricatoribus Arcæ Noe, cum quibus perfugium ab aquis diluvii construat, ipse suorum scelerum fluctibus mersus.

Ethnici ipsi lumine fidei destituti, vivendi sanctitatem ad docendi munus requirebant: ex quibus Plautus: *monendus*, inquit, *ne moneat.* quasi diceret, qui indiges aliena monitione, ut corrigaris, alios ne moneas, ut corrigantur. Idem in truculento ait: *Sine virtute argutum Civem, mihi habeam pro præfica.* Nam ut præficæ, quia sine interno doloris sensu, externos ploratus effundebant; non fletum, sed risum in auditoribus excitabant; ita & qui de virtute, sine virtute eloquuntur, aures audientium feriunt, & nulla eorum animis inserunt semina pietatis.

Sit sanctus qui velit esse Doctor.

Magister profundioris eloquentiæ Fabius Quinctilianus, Oratorem virtutibus destitutum vocat: *sigillum rasum ac tersum, nullisq; notulis*

inscriptum. Nam ut hoc, quantiscunq; viribus ceræ imprimatur, nullam figuram exprimit; ita & ille quantiscunq; clamoribus, circum aures intonet, nunquam in animos illabetur.

Apud Lacedæmonios ut D. Isidorus Pelusiota refert: qui sermones actionum umbras esse non immerito definierunt, ei qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat. Unde idem: lib: 3. epist: 232. ait. *Qui sermonem de Deo excitaturus est, hunc vitâ ac morum virtutibus, elucere oportet.*

Psal 49. Peccatori dixit Deus, ut regius testatur vates: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum, per os tuum?* quasi nihil ipsi Deo videretur indignius, quàm ad divina verba prædicanda illum accedere, quem pessimi mores infamant. Hinc citatus D. Isidorus Pelusiota lib 3. Epist: 39. *Impurum*, inquit, *ac sceleratum hominem, nego, non modo de fidei doctrina, sed etiam de ulla re alia, os aperire debere, quò ad per sinceram pœnitentiam animi maculas absterserit:* Origenes (ut refert D. Epiphanius lib. 2. contra hæreses, hæresi 64.) cùm accessisset ad explicandum hunc ipsum locum: *Quare tu enarras justitias &c.* eo prælecto subitò substitit, & suborta lacrymarum vi miserabiliter gemere cæpit, omnibus simul cum ipso plorantibus, adeò ut nihil ulterius præ dolore fari potuerit; quia recordatus fuerat, se Alexandriæ paulo ante, tyrannorum minis perterritum, pauca thuris grana simulacris obtulisse, atq; hac recordatione perterritus, nihil ad aliorum instructionem proferre ausus est, inconvenientissimum censens ejusmodi hominem, munus docendi, ac alios reprehendendi assumere, quem propria reum accusat, conscientia.

Indignum ab iniquo divina prædicari.

Et B. Petrus Damiani huic sententiæ insistit dicens: *Exerce, quod prædicas: non vita discordet à lingua; non opera videantur à sermone discreta; commendet inedia, jejunia prædicantem. Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.*

Psal: 50. Precatur David: *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.* Prius se suis culpis

pis expurgandum orat David, antequam accederet ad alios expurgandos, & justitiam Dei prædicandam.

Matth: 5. Evangelicam doctrinam traditurus Christus Dominus: *ascendit in montem.* Imperfectus hom: 9. assignat rationem dicens: *ut ostēdat nobis, quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet, qui docet justitiam Dei.* Quod ipsum confirmat: *Qui docet, verborū suorū sit ipse exemplum, ut magis opere doceat, quàm sermone. Qui autem ambulat per convalles vitæ terrenæ, & loquitur altos sermones, non alterum instruit, sed se ipsum castigat: Nemo enim potest in valle stare & de monte loqui. Si in terra est animus tuus, ut quid de cælo loqueris? Si autem de cælo loqueris, in cælo consiste.* Isaiæ 40, instituens Dominus Prædicatorem ac Doctorem aliorum, præscribit illi, quæ in tali munere exercendo illum adhibere oporteat, dicens: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ieruzalem.* Priùs jubetur montem ascendere, quàm vocem exaltare, ut priùs ad bene vivendum, quàm ad bene prædicandum admoneatur. Sicut D. Greg: 2, p. Past. c. 3. advertit, ubi ait: *Vt qui cælesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoq; faciliùs subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum, de supernis clamat.*

Cant. 3, dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Ad quæ verba opportunè hæc adjungit Gregorius magnus libro 29. moral: c. 1. *Non dicitur omnes habentes sed tenentes gladios, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solùm scire, sed facere: habet quippe, sed non tenet gladium, qui Divinum quidem eloquium novit, sed secundùm illud vivere negligit, & doctus esse ad bella jam non valet, qui spiritualem, quem habet gladium, minimè exercet, in seipsum scilicet stringendo.* Unde subdit Salomon: *Vniuscujusq; ensis super femur suum* At qualis hic pugnandi, sive tractandi gladii modus; cùm in proprium femur distringitur; Respondet venerab. Gilbertus: *Vt se ipsum*

prime

primò corripiat, custodiat semetipsum Sicut Apostolus 2 Timoth: 2. graviter ministros verbi Dei alloquitur: *Sollicitè autem cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Id est: satage, & diligenter stude te ipsum probum & probatum exhibere Deo, & Verbum Dei, quòd prædicas, per exemplum & vitæ conversationem confirma. Nihil enim indignius Præcone evangelico, qui tametsi pulcherrinè dicat, turpissimè tamen vivit; qui optima cum Achitophele dat consilia, ipse sibi consulere nescius.*

Præco Evãgelicus vitã sermoni conformet.

Ezech: 10. DEUS olim Ezechieli Prophetæ præcepit: *Imple manus tuas prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super civitatem.* Interpretes sacræ scripturæ, in sensu morali ea verba accipientes, ajunt prunas ardentes super civitatem effundere, est verbum DEI Civitati annuntiare; nec frustra dictum: *Imple manus tuas prunis,* per manus enim operatio intelligitur, ut sensus sit: priusquam dicis, facito quòd dicis. Unde Hugo Card: in loc: cit: *Qui prius in Sanctorum exemplis prunas ignis sumpserit, id est ardorem Charitatis conceperit, vel opera charitatis compleverit, talis potest postea ignem effundere super civitatem, id est ardenter prædicare ad plebem, & eam accendere ad amorem; qui enim non ardet, non accendit,* ait S. Bernardus.

Apocal: 19. Describit S. Joannes novum à cælo præconem, an ad alios instruendos, redarguendosve missum Doctorem, dicens: *Vidi unum Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna.* Singula verba mysteriosi aliquid præferunt. Et imprimis: *Vidi,* inquit: *Angelum.* Non alios decet valido sermone cæterorum vitia objurgare, nisi quos Angelica commendat vita, juxta illud Isaiæ 41. *Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam.* Deinde inquit: *Vidi Angelum stantẽ: Non est enim cadentis.* (Si Plutarcho credimus) *alium erigere.* Tandem dicit: *Vidi Angelum stantem in sole & clamavit voce magna.* Non in terra, non in cæno stetit, qui ad aliorum instructionem locuturus prodiit; sed in sole: Nam teste Apostolo ad Rom: 10. virorum Apostolicorum *speciosi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona*

Prius

Prius ipse stetit in sole, antequam audiendus ab aliis, clamaret voce magnâ: nec ex alio suggesto clamare ausus novus ille Prædicator, nisi è sole. Non habet enim potestatem vocis ad aliorum correptionem proferendæ, nisi cujus *vestigium lux Dei est* Eccl: 50. vel ut Vatablus legit: *qui vestigium ponit in luce Domini.* Splendidiora sole illius vestigia esse convenit, eminentiores supra solem gressus, cui munus alios exhortandi incumbit. Sed jam præsentem annotationem concludat D. Ambrosius, qui serm: 20. in Psal: 118. ait. *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso condemnet.*

ANNOTATIO 3tia.

PROBATA VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.

Dissimulandum aliquis putaret insipientibus: Nescit tamen dissimulare virtus. Nempe probatæ virtutis indicium est, non palpare scelera, nec blandiri peccantibus, sed objurgare cujuscunq sint vitia. Homicidas illos, non medicos, meritò quisq; dixerit, qui palpant non secant membrum, quod contagioso infectum cernunt ulcere: eò enim crudeliùs interficiunt, quò magis blandiuntur. Simili exemplo D: Basilius ad convincendam Heli ignaviam utitur, cùm dicit: *Illi* [id est medici) *quodcunq; tandem membrum insanabili morbo correptum invenerint, ne vitium latiùs proserpat, neve ex contage se diffundente, contiguas partes corrumpat, illud secando, urendove, tollere funditus soliti sunt.* Hic plane virtutis agendi modus est, ut quidquid vitiosi alicubi repererit, non parcat sed corripiat.

Virtutis est scelera objurgare nõ dissimulare.

Aliam S. Gregorius adhibet similitudinem lib: 1. Pastor: curæ, c. 1. admon: 26. ubi ait: *Si indigentibus proximis abscondimus pecunias, eorum mortem optamus, ita si peccantibus fratribus subtrahimus correptionem:* Unde D. Chrysost: hom: 3. in Ep: 1. ad Cor: ait: *Magnũ sanè & laudabile est, misereri pauperum, sed magis si errantem ab er-*

rore revocaveris. Et hom: 1. ad populum dicit: *Si quempiam, Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, non recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os illius, & percussione manum sanctifica.* Plinius in suo Paneg: ad Trajan: querulatur raros esse, in hac corruptissimi seculi tempestate, qui respectibus non decipiantur vitiaq; multorum castiganda, non dissimulent, dicens: *Vidimus curias elingues, in quibus dicere quod velis, periculosum: quod nolis, miserum est.*

Rari qui respectibus nõ abducantur

Bene Ecclesiastes cap: 7. monet quendam, arcendo eum à Judicis subsellio, si dissimulatione licentiam peccandi dare voluerit: *Noli* inquit, *quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Rectè Epitectus solos veritatis defensores, ad consilium adhibendos, eorumq; duntataxat, consilia exequenda suadet: *Approbato* inquit, *eos qui bene consulere cupiunt, non etiam eos, qui ubiq; adulari student.*

Arcendi à consilio adulatores.

Exodi 32. Laudat Moyses Levitas à cæde suorum redeuntes: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisq; in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Ubi subjungit S. Petrus Damian: lib: 1. Epist: 6. *Planè sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt; ita nihilominus maledictioni obnoxii sunt, qui peccatoribus blandiuntur.* Hanc corripiendi libertatem nullo respectu deterrendam Ammianus tanquam miraculum celebrat in Theodoro lib: 19. *Solus pene omnium erat, cuius linguam non effrenem, sed despicientem quæ loqueretur, nullus claudebat periculi metus.*

Petrus Blesensis epist 51. adhortatur Episcopum Sarisberiensem, in subditis, præsertim verò nepotibus corripiendis negligentem, ne illos deliciis foveat, eorumq vitia palpet; addens quòd eiusmodi indulgentia: *Exinanitio sit virtutum, & subversio honestatis.*

Levit 19. congruam cuilibet mortalium præscribit Dominus legem, dicens: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum,*

ne

ne habeas super illo peccatum: quasi diceret, parùm est si cui displiceat fratris peccatum; arguere, non tacito odio prosequi debet peccatorē qui alieni nolit esse particeps delicti. Unde S. August: lib: 16. de verbis Domini ait: *Vides fratrem tuum perire, & negligis pejores tacendo, quàm ille conviciando.*

Benevolam commodemus aurem exhortanti nos mellifluo Doctori D. Bernardo, ne quisquam nostrum præsumat dissimulare peccata, palpare vitia, serm: de Ioan: Bapt: omnes alloquens: *Ferveat in nobis zelus ille Charissimi, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis; nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo.*

Vitia non palpanda.

Inde ad posteros transmittendæ gloriæ suæ argumentum sumit David, quòd cum delinquentibus vivere pacificè non valuerit; Psalmo 110. de se ipso prædicans: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Ut inde cuiq; palam sit, non dissimulandi rationem, sed delinquentium correptionem virtuti favere, & ad propriam cujusq; plurimum conferre, laudem. Et certè parva ibi virtutis cura, ubi adversantia probitati non rejiciuntur tela, ut bene notavit D. Anselmus: *Vbi non est correptio, ibi est corruptio.*

Multum ab ejusmodi dissimulatione vitiorum, exemplo Heli deterrere omnes nititur S. Chrysost: hom: 9. in 1. Tim: 3. ubi ait: *Heli propter filios periit, illos quippe cum acriùs coercere debuisset, verbis tantùm lenibus monuit. Quo circa dum illis molestus esse severâ increpatione recusat, & illos & seipsum unà perdidit.*

Admirandâ relatione, eandem prosequitur sententiam S. Ambrosius, qui facta expositione luctuosi casûs, Antiochiæ cuidam civi evenientis. Hic solo cane comitatus, domo egressus à latrone ex insidiis confoditur; & omnibus exutum sauciumq; cadaver relinquitur destitutum; solus canis totam noctem ei adhæsit, viciniam omnem immani ejulatu & latratu infestans. Dumq; orto sole inter alios ad cadaver accurrentes homines, advertit appropiantem homicidam, horrendo latratu, & repetito in eum impetu ac morsu, ulciscitur sui Domini necem; to-

tiq; adstantium coronæ reum prodit. Hoc exemplum referens S. Præsul, ad eos convertit sermonem, qui DEI dissimulant injurias, & pestiferâ patientiâ fovent, dum tolerant vitia, exclamans: *Mirabile factum, quid nos dignum nostro referimus Creatori, cujus cibo vescimur, & dissimulamus injurias* lib: 6. exam: c: 6.

A veritate dicendâ nec terroribus abstrahi se sinat Prædicator.

Nec vanis unquam mortalium terroribus cedendum est, sed virilis animus in coarguendis sceleribus retinendus. Quantum hic Deo placeat, vel ex illo constare potest exemplo, quod P. Petrus Pennequin Soc: Iesu, de praxi amoris Sancti part: 3. c. 27. adducit: Declamaverat aliquando unus ex Patribus Capucinis, contra pauperum oppressiones, sed declamantem Gubernator oppiduli in Italia, qui milites illic in præsidio habebat, ferre non potuit, minatusq; est, nisi revocaret, quæ dixerat, barbam se illi evulsurum, eumq; in finem, sequenti die, militibus cinctus concioni adfuit. Hic statim in principio sermonis, ad effigiem Christi de cruce pendentis, ore voceq; conversus, ita illum alloquitur: *Tu Salvator meus & Redemptor, cùm mihi concionandi onus imposuisti, jussisti simul ut constanter & intrepidè veritates tuas annuntiarem; sed ecce volunt, ut infami retractatione veritati nubes offundam. Ostende Deus meus quid velis, & ego tibi continuò, minis omnibus ac ipsa morte contemptis, obsequar:* & ecce rem stupendam: crucifixus cum strepitu & fragore faciem in oppositum avertit, tam infamem retractationem á se ferri non posse hoc prodigio contestans; quod sicut Ducem cum militibus consternavit, ita concionatori ad vitiorum constantem insectationem animos addidit. Sed jam liceat cum S. P. Damiano concludere, qui cap: 25. Gomorrhiani, generosè protestatur dicens: *Malo cum Ioseph, qui accusavit fratres apud Patrem crimine pessimo, in cisternam innocens projici, quam cum Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, divini furoris ultione mulctari. Cùm enim per os Prophetæ, divina vox terribiliter comminetur, dicens: Si videris fratrem tuum iniquè agentem, & non corripueris eum, sanguinem ejus de manu tua requiram. Quis ego sum, qui in*

sacro

sacro ordine videam tam pestilens facinus inolescere, & velut homicida alienæ animæ, servatâ censurâ silentii, divinæ districtionis audeam ratiocinium expectare? & illius reatus fieri incipiam debitor, cujus nequaquam auctor extiteram?

ANNOTATIO 4ta

PROBATA VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES.

PRobatæ quidem virtutis indicium est, corripere insipientiam, non dissimulare vitia, cæterum & ipsa correptio, ut laudem mereatur, & fructum afferat, non aliunde, nisi à virtute procedere debet. Hinc D. Gregorius monet: *Ex compassione non passione, procedat correptio.* Non sapiunt gustui, nec sanitati prosunt, delicatissima etiam fercula, quæ de venenato proferuntur vase. Ab hostili porrecta manu poma, nauseam non appetitum movent. Vel ut ex antiquis exercitatissimus in istis, vir ajebat: *Diabolus diabolum non expellit, nec tu cum impatientia tua, alterius impatientiæ mederis.*

Modus corripiendi sit à virtute præscriptus non à passione corruptus.

S. Gregorius lib: 3. Pastor: c. 3. Correptionem comparat medico ad sanandum vulnus accersito, qui ferrum medicinale abscondit sub veste, quod eductum subitò figit in vulnere, ut secantem gladium sentiat æger, antequam cernat, ne si cerneret, secari recusaret. Congruè etiam conferri potest cum deciduis imbribus, qui eò gratiùs influunt, & fructuosiùs rigant terram, quò lentiùs & tenuiore guttâ descendunt nubibus.

Plato cùm à mancipio pœnas repetendas ob culpam gravem censeret, atq; animo se commotum persentisceret, amicum rogavit, ut vicariam sibi operam præstaret; *quia irascor* inquit. hoc ipso declarans ab animo, virtutem, non iram spirante commendabilem prodire correptionem.

Lucæ 16. Epulo ille sepultus in inferno, nullius commiserationе di-

Caveatur furor in corripiēdis vitiis.

genus, qui vivens inter homines, omnem humanitatem exuerat, ne cum Lazaro in extrema egestate constituto, faceret misericordiam, inter orci flammas exæstuans, horrendâ inclamat voce, Abrahami implorans subsidium: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma.* Quis non expectaret non tam responsa, quàm fulmina contra orci alumnum, ab Abrahamo proditura? mitiùs tamen quam merebatur dives, Abrahamum cum illo agentem, non sine admiratione auscultate: *Fili* inquit, *recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Cur duriore vocabulo, non compellat immitem? cur acerbiore responso non rejicit omnis mansuetudinis expertem divitem? Demus aurem D. Chrysologo, qui serm: 123. sic loquentem, suiq; sermonis rationes proferentem Abrahamum inducit: *Voco filium, ut intelligas, judicii esse quod pateris, non furoris: Voco filium, ut in me mea patientia maneat, in te tua maneat pœna.* Talem semper impiorum decet esse correptionem, quæ virtuti non vitio suam debeat originem, ut S. Gregorius lib: 26. moral: c. 36. instruit dicens: *Prius intra semetipsum zeli sui impetum, tranquillâ æquitate componat, nesi ad animadvertenda vitia, abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo, peccemus.*

Prudentissimè P. Gaspar Barzæus Zelandus, vir à virtutibus & prodigiis in India notus, cum Olissipone ante ingressum in Societatem, famulum ageret, suum herum ejusmodi correptionem edocuit: cùm enim quâdam die ab hero præcipiti irâ correpto, injustè fuste exceptus fuisset, patientissimus sustinuit & tacuit; sed paulò post ubi ira deferbuisset, ad herum jam sui compotem, cum baculo in manu rediit, quem illi obtulit dicens; nunc si culpa id posceret, verberaret, modo aliàs non iram, sed rationem ad consilium in similibus eventibus advocaret.

Præclarè S. Isidorus lib: 3. de summo bono cap: 92. hac de re differit, dicens: *Qui delinquentem superbo vel odioso animo corrigit, non emen-*

mendat, sed percutit. Quidquid enim protervus vel indignans animus protulerit, objurgantis furor est, non dilectio corrigentis.

ANNOTATIO 5ta.

PROBATA VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES

Temperata sit correptio

COmmunis Theologorum sensus est, quòd virtus, cùm versetur inter duo extrema, non declinet ad alterutrum; sed in medio consistat: Talis debet esse & correptio, quæ attemperata virtuti medium teneat; nec deflectat sive ad nimium rigorem, sive ad indulgentiam.

Citharædum suæ testudini componendæ & chordarum explorationi intentum æmulari debet, quisquis correptionem virtuti accōmodare voluerit; huic enim adjecit Virgilius 6. Æneid: *ulteriùs ne tende.* moderationem scilicet persvadere volens. Eandem similitudinē enucleatiùs S. Greg; in Job: c. 30. proponit, dicens: *Chorda in cithara, si minùs tenditur, non sonat; si ampliùs raucum sonat, aut etiā disrumpitur.* Ita profectò & correptio, si fuerit nimis blanda & indulgens, fovet non corrigit vitia; si nimis aspera & cruda, vulnerat non sanat animum delinquentis. Unde idem S. Doctor lib: 20. moral: c. 2. all: 3 ait: *Sæpe subjectos frangimus, dum plus justo vigorem justitiæ tenemus; qui profectò vigor, jam justitiæ non erit, si se sub justo moderamine non custodit.*

Nec nimiū intendatur

Nec indulgenter remittatur.

Concinnè Pöeta Euripides huic veritati alludit: *Si vela tendas nimiùm, navis mergitur, sed si relaxes, rursus vehitur tutiùs. Odit Deus nimis vehementes impetus, odêre Cives: gratior est moderatio.*

S. Gregorius 20. moral: cap. 3. hanc moderationem disciplinæ explicat per Virgæ & mannæ in tabernaculo asservatæ symbolum: *Virgâ enim,* inquit S. Doctor; *percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est distinctio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet; sit itaq; amor sed non emolliens, sit rigor sed non exasperans: sit*

zelus

zelus non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plùs, quàm expedit parcens.

Lucæ 10. habetur exemplum prædictæ moderationis in samaritano, qui proximi sui *alligavit vulnera infundens oleum & vinum.* In quem locum scribens D. Greg: dicit: *Ut per vinum mordeatur vulnera, per oleum foveantur, necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddā temperamentum ex utroq;, ut neq; multâ asperitate exulcerentur subditi, neq; nimiâ benignitate solvantur.*

Posset quis non incongruam quæstionem movere: cur Spiritus Sanctus sub duplici forma ac specie, nempe sub columbinâ & igneâ, se mundo manifestaverit? ut legitur Matth; 3. & Act: 2. Certè non sine mysterio id factum esse videtur. S. Greg: 5. p. Past: admon: 17. talem hujus rationem assignat: *quia omnes*, inquit, *quos implet & columbæ simplicitate mansuetos & igne zeli ardentes exhibet.* Talemq; ex suo discursu conclusionem infert: *Nequaquam ergo Sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis, fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore, virtutem mansvetudinis amittit.*

I. Regum 17. David pugnaturus cum Gigante: *misit quinq; limpidissimos lapides in peram pastoralem*, vel ut Glossa dicit in mulctrâ, seu vas lactis, in quo oves mulgebantur. Cujus rationem affert Franciscus de Mandoca: voluit, inquit, significare quòd oporteat ut telum justitiæ, lacte misericordiæ litum ac perfusum intorqueretur.

Qui dextrè reprehendit, inquit Auctor Catenæ Græcorum Patrum, *sanat, qui verò pro cervicis suæ duritie conviciatur, non tam sanat, quam irritat, & propter ruborem, quem temerè ingerit, quos objurgat impudentes reddit.* Unde correptione utendum est, ut pharmaco, quod plus nocet, quàm prodest, si nec in tempore, nec in loco suo adhibeatur.

Non sine mysterio 3. Reg: 7. jussit Salomon ut inter cætera Templi ornamenta, leones pariter ac boves sculperentur. V. Beda ad eum locum: *Sanctorum*, inquit, *mentes habent cum leonibus boves, quando inventionem correctionis, cum spiritu mansuetudinis exhibent.* Ut itaq; correptio, virtutis viâ progrediatur, neq; nimiâ emolliri indulgentiâ, neq; immoderato debet abripi disciplinæ vigore: Jugum enim Christi debet quidem esse jugum, sed illud suave; & onus, sed leve. Audiamus S. Gregorium, qui lib: 19. moral: c. 12. all: 16. talem moderatæ correptionis præscribit modum, dicens: *Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.*

Plurium ex hoc loco Annotationum possunt esse semina. Imo ex eo, quòd correptio fiat ordinariè per flagellum, vel afflictivam objurgationem: ita persæpe malis ac insipientibus nihil acerbius, nihil gravius ac intolerabilius virtute bonorum. Virtus honestarum mentium, flagellum est mali hominis. Ut rectè Plinius lib: 1. Epist: notavit, dicens: *Multum severitatis, vitæ sanctitas summa, par comitas.* 2do ex eo, quòd ad correptionem insipientium, probata virtus destinetur: Nempe minor virtus requireretur, si ad unum insipientem correptio ordinaretur. sed exquisita ac probata esse debet, ubi plures corripiendi, plures instruendi occurrunt. 3tio solos insipientes virtus corripit; ejus correptio non se extendit ad sapientes. Vera nimirum sapientia & probata virtus semper secum conveniunt, nec virtus sapientiæ, nec sapientia adversatur probitati &c. &c.



QVARTVS VERSVS

PRIMI CAPITIS SAPIENTIÆ

QUONIAM IN MALEVOLAM ANIMAM, NON INTROIBIT SAPIENTIA, NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.

EXPOSITIO SANCTORVM PATRVM.

IN *malevolam animam non introibit Sapientia.* Variè hunc locum explicant Patres. Imprimis enim Pagninus locò *malevolam*, legit *malivolam*, id est mala machinantem, dolos & fraudes versantem. Deinde S. Hieron: legit: *Malitiosam.* Syrus: *malis involutam.* Arabicus: *In malevolæ animæ artificium, seu machinationem, nullo modo introibit sapientia.* S. Bernardus: *In malignam animã.* Vatablus & Guarinus: *In animam contradicentem vero, & invidam.* Jansen: *In animam malitiosam, & maleficam, quæq; mala, arte callidâ nectit.* Lyran: Dionys: & Hugo: *In animam complacentem sibi in malitia.* Clarius: *In animam, quæ omni studio & arte studet malo.*

Per sapientiam autem S. Cyrillus Alexand: lib: 1. in Joan: c. 4. Item D. Chrysost: tom: 2. in matth: 8. Et D. Basil: Epist: 141. intelligunt cognitionem mysteriorum, dicuntq; malignam animam esse cujusvis hæretici, hypocritæ ac infidelis. Alii per sapientiam intelligunt dulcedinem divinæ contemplationis, quam non degustant animæ malevolæ, sed bonæ & puræ. Reliqui Authores censent per sapientiam hoc loco denotari, non scientiam aliquam speculativam, sed practicam, consistentem in virtutum exercitio, in amore ac timore Dei.

Nec

Nec habitabit in corpore subdito peccatis. ex græco legitur: *in corpore oppignorato, ac velut ære peccati obærato, & obstricto.* Hugo Card. dicit: in corpore, id est in homine, qui subjacet peccatis carnalibus: Talis enim homo, corpus dicitur non spiritus. Hinc 1. Cor: 2. habetur: *Animalis homo, non percipit ea, quæ Spiritûs Dei sunt,* id est non perfectè capit; quia nec effectu tenet, nec opere implet. Syrus vertit in corpore *reo & condemnato.* Per peccata autem, quibus dicitur subditum esse corpus; alii intelligunt peccata carnalia: libido enim obcæcat mentem, & mille errorum tenebras menti offundit. Alii accipiunt peccata injustitiæ, fraudum &c: A castro intelligit peccatum diffidentiæ, quâ quis diffidit Deo. Cornelius à lapide vult intelligi quælibet peccata mortalia, & per corpus hominem; corpus enim hominis est, tam culpæ, quam pænæ officina.

RESOLVTIO
OCCVRRENTIVM DIFFICVLTATVM.

IN prædicto versu, aliquot veniunt resolvendæ quæstiones. 1ma est quidnam per malevolam animam intelligatur? 2da cur in malevolam animam dicatur non introitura Sapientia? 3tia Quomodo potest stare quòd sapientia non introibit in malevolam animam? cùm experientia doceat, non deesse plurimos depravatæ vitæ, flagitiisq; infames homines, qui aliàs insigni scientiâ, ac sapientiâ videantur pollere. 4ta Cur sapiens præter malevolam animam, etiam corpus attingit? dicitq quòd sapientia in illo peccatis subdito non habitabit? 5ta quare corpus vocetur subditum peccatis?

QUANTUM AD PRIMAM QUÆSTIONEM

Quidnam intelligatur per animam malevolam?



Onstare quidem poterat ex allata Patrum expositione, cæterum pleniùs adhuc innotescere potest imprimis ex definitione malevolentiæ, quam affert Cicero lib. 4. Tuscul: quæst. dicens: *Malevolentiam esse voluptatem ex malo alterius, sine suo emolumento.* Deinde Hugo Card: censet per malevolam animam, debere intelligi eam, quæ semper parata est contradicere veritati, cui dicitur Ecclesiastici 4. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* Vel etiam juxta eundem, malevola anima dicitur *anima invida*, quam refugit Sapientia. Unde sap: 6. legitur. *Ponam in lucem scientiam illius, neq; cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo, non erit particeps sapientiæ.* Putarem tamen non improbabiliter per animam malevolam posse intelligi quamlibet animam, non ex fragilitate aut vehementi tentatione, sed ex mera malitia peccantem, & in peccato perseverantem: Hinc Christianus Pöeta Jacob: Billius in Anathol: Sacr: canit:

Quid anima malevola?

Quis mihi sit dignus sapientis nomine quæris?
Accipe: cui virtus jam sapit, ille sapit.
Quæris item, dici, quis possit jure malignus?
Scilicet is, vitii cui sapor ipse sapit.

QUANTUM ad 2dam QUÆSTIONEM

Cur in malevolam animam dicatur non introitura Sapientia?

Cur malevolũ avertetur sapiẽtia.

RAtio est. imò quia sicut lux cum tenebris, æstas cum hyeme, dies cum nocte convenire nequeunt, ita & sapientia vera, cum anima malevola: Vera enim sapientia Divino innixa timori, recedit à malo, juxta illud Job 28. *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo intelligentia.* Jam verò anima malevola,

est

est malis involuta. 2do quia sicut vagina proportionem & mensuram habere debet, ad gladium quem vestit; nec gladius rectus intrat in vaginam flexuosam ac distortam; ita & sapientia, quæ deducitur à sapio, quod est rectè sentio, in animam malevolam & à recto deflectentem non introibit. Talis enim anima est improportionata sapientiæ. Tũ quia sapientia est ipsa veritas ut S. Augnst: libro de lib: arb: docet, dicens: *Non aliam putes esse sapientiam, nisi veritatem, in qua tenetur, & cernitur summum Bonum.* Malitia verò quâ malevola anima afficitur, juxta S. Ambros. in Hexamer: *est mentis atq; animi depravatio, à tramite veritatis devia.* Tum quia malevola anima respuit timorem Domini, qui secundum Psal: 110. est *initium sapientiæ.* Tum quia Sapientia vera requirit bonam voluntatem animæ: ejus enim primum alphabetum est, vitæ probitas, ut censet S. Greg: Nazian: orat: 16. dicens: *Prima sapientia est, vita proba & honesta.* Porro malevola anima, depravatam habet voluntatem.

QUANTUM ad 3tiam DIFFICULTATEM.

Quomodo subsistere potest quòd sapientia non introibit in malevolam animam, cùm per experientiam constet plures flagitiosos homines, non exigua eruditione instructos, & sapientiâ pollentes reperiri?

VT rectè hæc difficultas exponatur sciendum est, duplicem in sacris literis distingui Sapientiam: unam cælestem, alteram terrestrem, unam divinam, alteram diabolicam, unam spiritualem, alteram secularem. Unam S. Jacobus cap: 3 vocavit pudicam, pacificam, modestam, suadibilem, bonis consentientem, plenam misericordiâ & fructibus bonis; alteram terrenam, animalem &c. de qua etiam sapiens innuit: *Est sapientia, quæ abundat in malo.* Doctor Gentium ad Rom: 8. illam dividit in sapientiam carnis, & spiritûs, dicens: *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritûs, vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta.* Unde S. Isi-

Quandoq; mali sunt sapientes. Sed sapientiâ terrenâ non cælesti.

Isidorus Pelusiota lib: 1. Epist: 96. monet: *Si tu verus sapientiæ amator esse cupis, veram sapientiam ama, quæ non sermonem duntaxat, sed etiam vitam exornat, ac veram religionem docet: Nam ea quam nunc profiteris, & nunc radicula est.* In idem recidit sapientiæ divisio, quæ apud S. Greg: lib: 10. moral: c. 16. in cap. 12. Job legitur, ubi ait: *Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare &c. At contra sapientia Iustorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare &c:* Alii universaliùs sapientiam partiuntur, dicendo aliam esse theoreticam & puræ speculationis, quâ Deum cognoscimus & contemplamur; aliam practicam & piæ affectionis, quâ ad Deum colendum & observandum dirigimur & docemur. Utriusq; mentionem facit Apostolus ad Rom: 1. dicens: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, vel ut Chaldæus vertit: *Non fuerunt cognoscentes ad timendum ante Dominum.* Homo itaq; flagitiosus ac anima malevola potest obtinere sapientiam terrenam; animalem, sapientiam carnis, ac sapientiam in pura speculatione consistentem; non tamen sapientiam æternam, cælestem & practicam ut S. Greg: in moralibus concludit, dicens: *Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiduciâ desipiunt.* De ejusmodi sapientibus Christus Matth: 11. ait. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

QUANTUM ad 4tam DIFFICULTATEM.

Cur Sapiens præter malevolam animam etiam Corpus attingit?

Cur dicitur sapientia etiã corpus effugere?

Puto imprimis voluisse illum per hoc innuere, non solùm animam hominis dici & esse habitaculum Sapientiæ increatæ ac Spiritûs Sancti, sed etiam corpus, juxta illud: 1. Cor: 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est.* Deinde voluit Sapiens duo genera peccatorum exprimere; nempe peccata

cata Spiritualia, & Corporalia. Corporalia duo, gulam scilicet & luxuriam, Spiritualia quinq; Inanem gloriam, invidiam, iram, acediam & avaritiam. Hæc duo genera peccatorum, tam Sapientiam creatam seu Virtutem, quàm Sapientiam increatam, seu Deum qui habitat in nobis per gratiam, excludunt, nec sinunt habitare in nobis.

QUANTUM ad ULTIMUM

EX eo imprimis dicitur subditum peccatis corpus, seu homo: quia sicut servus & alienæ potestati subjectus non sui juris sed alieni esse debet; ita & homo peccatis subditus, tanquam captivus tenetur ac in alia & alia flagitia agitatur & impellitur; perinde ut navis fracto gubernaculo, illuc ducitur, quo tempestas protruserit, sic & homo auxilio gratiæ divinæ perdito per peccatum, non quod vult ipse, sed quod diabolus imperat, agit & operatur. Quod ipsum pulchrâ similitudine pueri, qui aviculam filo ligatam retinet, & huc illuc, avolare sinit, sed mox filo retrahit, declarat S: Anselmus lib: de similitud: c. 189. 2do quia sicut subditus non potest se vi suâ, ab obligatione subjectionis expedire; ita peccator ab isto jugo, quo se sciens & volens induit, ab hac inquam diabolicâ potestate, cui se ultro tradidit, nullâ suâ naturali vi aut virtute, sed solâ gratiâ Dei eximi potest. Unde S. Paulus 2. ad Timoth: 2. dehortatur omnes ab hac turpissimâ servitute; dicens: *Resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* 3tio quia sicut subditus laboribus fatigatur, ita & peccator lassatur in via iniquitatis. Hinc author operis imperfecti in Matth. hom. 28. ait. *Putas quòd peccatores istius mundi non laborant? verè majores labores, & sollicitudines habent, quàm servi Dei.* Et S. Ambrosius lib: de Naboth: c. 6. duriorem servitutem dicit paccati esse, quàm hominis: quia servus hominis, aliquando à labore feriatur: peccati servus nunquam à labore requiescit, ubi ait: *Qui servit peccato, semper in laqueis, semper in vinculis est; nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus.*

Cur corpus subditum peccatis dicitur.

bus. Quam misera servitus, servire peccatis? Natura ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, aut cibi fungitur suavitate. 4to quia sicut servus hominis ad abjecta & vilia compellitur ministeria; ita servus peccati ad pravas trahitur actiones humanâ libertate indignas. Qua ratione D. Hieronymus epist: ad Demetriadem, hortatur virginem nobilissimam, ut præclari generis dignitatem, & decus ad animum transferre velit: *Ille,* inquit, *clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integrè nobilitatem suam servare se putet, si dedignatur servire vitiis, ab eisq; superari: à quo enim quis superatur, hujus & servus est* 2. Petr: c. 2. *Quid enim hac servitute animi indignius; quidve turpius? quàm cùm in eo, aut dominatur odium, aut regnat invidia? quàm cùm eum aut avaritia possidet, aut captum ira tenet, vel certè cætera sibi vitia vendicant. Non est quòd sibi aliquis de nobilitate generis blandiatur, si ex nobiliori parte sit famulus. Multò est indignius mente servire, quàm corpore.* Hucusq; S. Doctor.

ANNOTATIONES

DUo in prædicto versu textus separatim examinandi reperiuntur. Imus est: *In malevolam animam non introibit sapientia.* Ubi hæ occurrunt circumstantiæ, variarum reflexionum semina: Imo quòd sapientia dicatur non solùm non permansura, non habitatura, sed ne quidem introitura in malevolam animam. 2do quod sapientia potissimùm aversetur malam animæ voluntatem.

ANNOTATIO Ima

IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA

GLoriosum quis, nec à sapientiæ legibus alienum putaret, minimè devitare malos, & in medio pravæ nationis suam probare virtutem. Quid enim? arduum est inter improbos, probitatem servare? In arduis tentanda virtus. Socors miles est, quem aspera terrent. Fortis Athleta, nulla formidat pericula. Verùm huic tam resolutæ ratiocinationi subscribere detrectat sapientia, quæ longè, ipsa etiam malorum aversatur limina. Cujus enim atria prior involavit malitia; haud vera subintrabit sapientia. *In malevolam animam non introibit sapientia.* Ut inde clarum cuiq; appareat, verè sapientis esse malarum & depravatarum mentium devitare ac dedignari consortia.

Vere sapiẽtis est malorũ cavere consortia.

Sicut enim piscis Torpedo dictus, diffusâ per virgam piscatoriam venenosâ quâdam qualitate, piscatoris manum inficit; sic, ait Plinius, sumuntur à conversatione mores; & ut quædam intactis corporibus, vitia transiliunt, sic animus perversus proximo suo mala tradit. Quisquis itaq; sapere didicit, & suorum integritati morum consulere desiderat; procul à contagioso malorum consortio declinet; ut Alexander ab Alexandro, ad Christianos directâ oratione, monet dicens: *Par est, ut nos qui Christiani sumus* [dicere debuerat, qui Incarnatæ Sapientiæ fovemur sinu] *omnes, qui contra Christum loquuntur, animoq; sunt ab eo alienato, tanquam Dei hostes & corruptores devitemus.*

Optimâ ad eam rem declarandam, utitur similitudine S. Cyprianus, cum de singularitate Cleri dicit: *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus; nec intra eandem caveam, habitans cum lupo tutus est agnus;* quasi diceret: quemadmodum aberraret à sapienti consilio, qui latroni crederet thesaurum, & agnum cum lupo conjungeret; ita minùs providè, prudenterq; agit, qui se depravatis associ-

at mentibus. Unde interrogatus Aristippus, quid omnium observatu foret difficillimum? respondit: *Virum probum, inter improbos probitatem servare.*

Proposita est nonnullis subtilioribus ingeniis ventilanda quæstio: Quid nam magis ad sapientiæ leges accederet? salutiq; animæ hominis conduceret? solitariamne, & ab omni hominum congressu absolutam ducere vitam? an verò hominum interesse multitudini. Utraq; pars suos defensores invenit. In partem solitudinis Aristippus tulit sententiam, dicens: *Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere.* Eidem subscripsit sententiæ doctissimus Patrarcha, ejusmodi effatum posteritati relinquens: *Vita procul dubio singularis, non tantùm tranquillior, sed & altior est, ac felicior.* Etiam D. Hieronymi calamum in sua traxit encomia solitudo, qui Epist: 4. ad Rusticum monachum, hæc in ejus laudes expressit: *Mihi oppidum carcer est, solitudo paradisus.* Non minùs eleganter in illius laudem excurrit D. Petrus Damianus opuscul: 11. c. 19. ubi sic de laudibus vitæ eremiticæ ait: *Solitaria vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac Divinarum artium disciplina: Illic enim Deus est totum, quod discitur: via, quâ tenditur, per quam ad summæ veritatis notitiam pervenitur.*

Quid magis ad salute animæ conducat? An solitudo?

E contra in præjudicium solitudinis Seneca ivit dicens: *Omnia nobis mala solitudo suadet.* Cui etiam sapiens minùs favere videtur, Eccl: c. 4. ubi ait: *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* Et infra: *Meliùs est duos esse simul, quàm unum, habent enim emolumentum societatis, ut si unus ceciderit, ab altero fulciatur.*

An conuersatio humana?

Alii tandem mediam secuti viam dixêre: Conversationem humanam bonam esse, sed cum piis & bonis; malam cum malis & impiis. Unde S. Isidorus lib: 1. soliloq: ait: *Sicut bona multa habet communis vita Sanctorum, sic plura mala societas adfert malorum.* Et gentilis licet Philosophus Theognides probè monet:

Te conjunge bonis, ab his bona plurima disces.
Cum pravis vivens, tu quoq; pravus eris.

Ex

Ex qua sapientûm concertatione & discursu concludere licet: maximè sapientis esse, non minùs depravatæ vitæ hominum, quàm peste infectorum, devitare consuetudinem. Etiam desertum, profundamq; pete solitudinem, si non cum aliis tibi vivendum restat, nisi cum malis.

Clarè, ut puto, illa ipsa veritas tali argumento evincitur: Sapientius est cavere ac evitare peccandi, pereundiq; pericula, quàm spe victoriæ, inter illa versari. Atqui consortia malorum, sunt peccandi ac pereundi pericula. Ergo sapientius est vitare malorum consortia, quam spe victoriæ inter illos versari.

Illud semper limatiori sapientiæ conformius, quod quemq; suæ integritatis securiorem reddit, ad certioraq; præ incertis eligenda disponit. Quis enim prudens certam suæ substantiæ portionem, dubiæ committet aleæ, ut ditior evadat? quis eam quam pressis tenet manibus fortunam, dimittet? ut opulentiorem, quæ sperari duntaxat jubetur, obtineat. Quis pace contemptâ ad prælia provocabit, solâ spe victoriæ tumidus? *Lubrica spes*, exclamat D. Cyprianus, *quæ inter fomenta peccati, salvare se posse sperat; incerta victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est, flammis circumdari & non ardere.* Tribuere etiam tantum suis viribus, ut victoriam sibi quis in periculo constitutus polliceatur, præsumptionis nota est, non fortitudinis gloria, ut aptè D. Augustinus advertit, dicens: *Infelix & nimiùm periculosa præsumptio; multi dum se putabant vincere victi sunt.* Et concludit tali epiphonemate: *Hoc est vivere sub ruina.* Et certè quis sanctior Davide? quis sapientior Salomone? Samsone fortior? hi tamen omnes fœdè lapsi sunt, ut notat D. Hieron: in reg: monach: cap: de cast: Meliùs est suæ imbecillitati diffidendo stare, quàm nimiùm fidendo, miserabiliter cadere, ut idem D. Hieronymus lib: contra vigil: eximiè in hanc rem discurrit: *Fateor*, inquit, *imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Tu qui pugnas, superari potes & vincere. Ego cum fugero, non vincar in eo quod fugio, & ideo fugio ne vincar.*

Pericula vitanda.

Idem Argumentum prosequitur D. Cyprianus lib. de sing. Cleric: *In hac parte, expedit plus bene timere, quàm malè fidere, utiliùs est infirmum se quis cognoscat, quam fortis qui videri velit, infirmus emergat.* Refert D. Augustinus lib: 6. conf: c. 8. de Alipio, qui licet reluctans ac vehementer resistens; suæ tamen constantiæ plus æquò præfidens, & animositati tribuens, abiit cum amicis in amphiteatrum crudelium & funestorum ludorum. Pollicebatur sibi indubitatam in hoc certamine victoriam; dicens ad eos: corpus quidem meum trahitis, animum tamen & oculos in illa spectacula non deducetis. *Sed heu! victus occubuit*: inquit Augustinus: *Gladiatorii spectaculi hiatu incredibili, & incredibiliter abreptus est.* Audite prosequentem Augustinum: *Ille etiam clausis foribus oculorum interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atq; utinam* clamat infulatus Doctor, *& aures obturasset.* Ecce oculos, quos pia mens occluserat auditus reseravit, miserumq; dejecit. *Nam quodam pugnæ casu, cum clamor ingens totius populi eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus, quid quid esset, etiam visu contemnere, & vincere, aperuit oculos, & percussus est graviore vulnere in anima, quàm ille in corpore, ceciditq; miserabilius, quàm ille, quo cadente, factus est clamor.* Et infra: *Et non erat jam ille qui venerat, sed unus de turba ad quam venerat.* Hucusq; S. Doctor. Malo tutus extra pericula vivere, quam velle in periculis stabilis videri, potissimùm cum S. Leo moneat: *Nemo est tantâ firmitate suffultus, ut de sua stabilitate, debeat esse securus.*

Audiamus quid sapiens Prov: 28. suadeat, & quem mortalium, suo suffragio, apotheosi donet: *Beatus,* inquit, *homo qui semper est pavidus, qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* Neq; ignominiosum quis censeat, fugere, ubi peccandi occurrit periculum. *Gloriosa hæc,* dicit S. Ambrosius, *fuga est, fugere à facie peccati.* Introducta fuerat olim consuetudo, in ipsis Urbium portis celebrandi judicia, prout in pluribus Sacræ Scripturæ locis legimus, nominatim autem Genesis 34. Deut; 17. & 22. Ruth: 4. &c. Cujus rei varias afferunt

ratio

rationes SS. Patres: D. Gregorius lib: 11. moral. c. 15. hanc adducit: *Vt urbem, in qua concorditer oportet vivere, discordes minimè intrarent.* quasi diceret, præclusas esse omni periculo, etiam portas civitatis debere, si Cives securi esse volunt. Alteram S. Hieronymus in cap: 5. Amos tradit: *In porta,* iuquit, *judicia fuisse legimus, ne agricola ad causam veniens, frequentiâ civitatis & novo terreretur aspectu.* Convenientem tamen ad præsens, addit rationem Franciscus de Mendoca in lib: 1. Reg: cap: 11. annot: 20. dicens: *Ne probitas illa & innocentia, & candor rusticanus, inter urbanas fraudes, dolos ac flagitia, aliquod peccandi periculum incurreret, à quo ut faciliùs eriperetur, etiam à primo Civitatis ingreßu arcebatur*: ut ad ipsam Themidis libram examinata emineat veritas: æquissimum ac sapientissimum esse, procul ab omni exesse periculo. Hanc profectò paucis sed nervosis verbis attingit Sapiens, Proverb: 6. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Sit itaq; firmum ac certum, quod sapientius sit evitare peccandi pereundiq; pericula, quàm spe victoriæ, inter illa versari.

Atqui consortia malorum sunt peccandi ac pereundi pericula. Pronum enim est iter à virtute ad vitium, á probitate ad malitiam, à Deo ad diabolum, ubi non desunt malorum exempla. Qui stat in lubrico, etiam nemine impellente, facilè labitur. Nam Seneca teste Epist: 97. *Non pronum tantùm est iter ad vitia, sed præceps.* Quodsi accedant, qui impressione factâ ad casum impellunt, quomodo a casu te servabis? quomodo non experieris illud Davidis Psal: 117. *Impulsus eversus sum ut caderem.* Iuvenis ille Luc. 15. adhæsit uni Civium Regionis, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Advertendum est, imprimis adhæsit, & postea ad vile ac indecens obsequium missus; nunquam huc descendisset, nisi malo Domino adhæsisset: *Quid non facit cupiditas ad sensum præceps* [inquit S. Chrysost: ad hunc locum Serm: 7.) *liberum mutat in servum, ut serviret cænoso pecori*

Consortia malorum periculosa.

pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. quasi diceret à bonorum societate recessit, malorum consortio adhæsit, quidni malus effectus in præceps abiisset. Rectè monet Salomon Proverb: 8. *Cum audace ne eas in via, ne fortè gravet mala sua in te.* ne scilicet pessimos suos affectus, in te exoneret, suis te sceleribus involvat.

Quisquis perditorum hominum consortium cum pestifera lue contulerit, haud aberrabit. *Nihil* enim ait S. Chrysost: hom: *60. ita perniciosum ac pestiferum ut consuetudo pravorum hominum & conversatio.* Divus Hieronymus lib: contra Vigil: depravatæ vitæ homines, cum serpentibus comparavit dicens: *Nulla securitas est vicino serpente dormire, potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri, ut me aliquando mordeat.* Illos ego fermentum dixerim, de quo Gentium Doctor 1. Cor: 5. *Nescitis quia modicum fermentum, totam massam corrumpit.*

Possunt etiam pravi socii & congerrones, non incongruâ assimilatione Latronibus conferri, nisi deteriores latronibus inveniantur; hi enim sæviunt in corpus, illi in animam, quam innocentiâ suâ spoliatam, æternæ mortis victimam faciunt. Audiuntur non rarò conquerentium voces, qui per abrupta vitiorum, à via recti & honesti abducti, suorum malorum & ruinæ seriem, à pravo trahentes consortio, gemūt se incidisse in latrones animæ, non secus ac Jerichuntinum illum viatorem, à quibus spoliati veste innocentiæ, & plagis impositis semivivi relicti, prorsus infirmi ac debiles facti sunt ad resurgendum à casu, faciendumq; bonum, & declinandum à malo.

Et certè si poma etiam ab uno putrido contacta, putrescere necessum est. Si una avis capta, & decepta, innumeras alias in exitium deducit; Si, ut Iuven. Sat: 2. canit: *Grex totus in agris, unius scabie cadit & porrigine porci; uvaq;, conspectâ livorem ducit ab uva.* quidni pericula pereundi metuat? qui in plurium societate malorum versatur; potissimùm cùm, ut D. Greg. Nazian: orat: 20. ait, *faciliùs sit vitium contrahere, quam virtutem impertire, quemadmodum etiam faciliùs est*

morbo

morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri. Hinc D. Ambr, in cap: 22. Luc, quæstionem movet: *Ubi negavit JESUM Petrus?* & respondet: *in prætorio Iudæorum, in societate impiorum.* Refert Neander Sturnum cicurem hæc verba ab Hero edoctum esse: *Cave à malo consortio.* Hic evolans postea è cavea, devenit ad sui consimiles, cum quibus volitans per avia, tandem unà cum sociis incidit in casses; dumq; ab aucupe unus post alium necaretur, sturnus in ultimo discrimine occinere cœpit, quod olim didicerat: *Cave à malo consortio.* quo audito, vitam ei donavit; salutari documento posteris relicto, summis periculis exponi, qui se pravis commiscent.

Congruam huic loco Paschasius scribens in Matth: cap: 26. reflexionem ingerit, ubi dicit: *Considerandum est ubi neget Petrus? non in monte, in quo fuit cum Domino; non in templo, non in Domo sua, sed in Prætorio Judæorum. Ibi ergo negat, ubi veritas non est, ubi Christus ligatus est.* Nemo itaq; tutus inter iniquos versari potest: nam ut ait D. Bernardus: *Non est humanæ infirmitatis, sed virtutis divinæ, bonum & impium simul commorari.*

Ergo sapientius est vitare malorum consortia, quam spe victoriæ inter illos versari.

Quis enim sapientem dixerit, qui pretiosos uniones, à vili cæno, aurum à luto, electum granum à paleis, virtutem à vitio separare negligit. Nihil commune bonis, cum improbis esse debet. Unde Regius vates Psal: 140. gloriatur: *Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.*

Sapientius est malorũ cõsortia vitare, quam victoriã sibi polliceri.

Genes: 50. Jacob: Patriarcha vicinus morti, prophetico spiritu transmigrationem Israelitici populi è terra Ægypti, tandem aliquando futuram prænuntians, filios suos ac posteros juramento devinxit, ut exituri de Ægypto ossa sua secum efferrent, dicens: *DEUS visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Quæ causa fuit tantæ curæ de ossibus propriis in Jacobo? aptam rationem reddit Oleaster in hunc locum scribens: *Ecce,* ait, *quam mala sit conjunctio malorum*

lorum, ut non solùm vivi, sed etiam defuncti, nolint cum iis commisceri. Hethæi nimirum & Ægyptii erant scelerati & idololatræ, ab his Patriarcha, etiam ossa sua ad piorum sepulchra transportari curavit; quibus consideratis citatus Doctor, quasi a minori ad majus conficit argumentum: Si mortui etiam arida ossa, terræ sceleribus inquinatæ, haud commiscenda censent; quantò sapientiùs quisq; de viventibus sibi consulet; dum à consortio pravorum recedet longiùs.

Quid est quòd Christus Dominus affirmet suam gloriam tunc primùm apparuisse, cùm de gremio Apostolici Collegii exesset Judas; *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis* Ioan: 13. Quamdiu aderat perfidus proditor, tamdiu in consortio tanti sceleris, quasi densis nubibus, radii solis Iustitiæ impediebantur, ne claritatem afferrent; ad egressum illius, congruo sibi, splendore illustratur; *Cum ergo exisset Iudas, dixit Iesus: nunc clarificatus est filius hominis.* Appositè ad hunc sensum D. Augustinus in Psal. *9.* scribens, alludit: *Exit Iudas & clarificatus est IESUS, exit filius perditionis. & clarificatus est filius hominis: exeunte immundo, omnes mundi permanserunt.* Discite mortales quantis spatiis ab impiorum congressu, vos avelli oporteat, cùm & ipse filius Dei, ad præsentiam infamis proditoris multum suæ claritati defuisse arbitretur. Verissimè dixit Epictetus: *Qui cum contaminatis versatur, contaminatus evadet.* Et Ovidius cecinit: *Dum spectant oculi læsi, læduntur & ipsi. multaq; corporibus transitione nocet*

Concludat hanc annotationem exemplum, quod legitur in Prato spirit: c. 40. de viro Sancto, Abbate Cosma. Hic sepultus juxta sepulchrum cujusdam Episcopi hæretici, pluribus noctibus auditus est clamare: *Noli me tangere hæretice, noli mihi appropinquare inimice Ecclesiæ Sanctæ Dei*, ut significaret viventibus, quantum abhorrere deberent à consortio malorum.

ANNO-

ANNOTATIO 2da.

IN MALEVOLAM ANIMAM, NON INTROIBIT SAPIENTIA.

AD interiora sui domicilii admisit anima malevolentiam, vel prout alii volunt invidiam, recessit ab anima Sapientia. Unâ nimirum statione congredi nequeunt invida mens & Sapientia. Nihil magis rectæ adversatur rationi, magis nemo omni destituitur sapientiâ, quàm malevola, seu invida anima.

Bene Socrates Invidiam *ulcus Animæ* appellavit: nam sicut exulceratum ulcus cum venusto non cohæret vultu; ita invidia nunquã veræ conjungitur Sapientiæ. *Invidi ac malevoli maximè destituuntur sapientiâ.*

Rectè S. Cyprianus orat: de liv: eam vocat *calamitatem sine remedio*; æq; enim invido deest domi consilium, ad calamitosæ sortis propellenda tela, atq; ei, qui toto rationis usu destituitur.

D. Chrysostomus hom: 34, in Ioan: dicit eam: *Ignem extinguibilem.* Et congruè. Sicut enim per incendium, omnis decor ædificiorum absumitur, & vehementior flamma expellit, quos domus collegerat habitatores; ita invidi animus universam rationabilis mentis decoquit gloriam, & boni consilii matrem, exulare facit Sapientiam.

Genes: 26 Cùm Isaac in terra Palestinorum habitaret, & benedicente DEO magnarum opum factus esset Possessor, multumq; familiæ, ovium ac armentorum haberet, dicit sacer textus: *Invidebant ergo ei Palestini, & omnes puteos quos foderant servi Patris sui Abraham, obruerunt Palestini, opplentes eos humo.* Expendamus, ridendamne potiùs? an multis eluendam lacrymis? invidorum actionem: obruunt opplentes humo, omnes puteos: nonne & illi de iisdem bibebant? si omnes obstruitis Palestini aquarum fontes? ergo nullus vestris etiam usibus serviturus relinquitur. Quid agitis? adimere undas familiæ Isaac cogitatis? & vos ipsi unde propriis jumentis adaquandis, & propriæ siti relevandæ haurietis aquas? ne aliis fluant fontes sollicitè laboratis

boratis, ne vos ipsi destituamini aquarum suppetiis, nihil advertitis. *Non curant*, ait Lypomanus, *cui noceant, modo invidiæ satisfaciant*. O cæca & sine mente invidorum consilia! quæ alieno intenta malo, sibi ipsis extrema accersunt exitia. Præclarè D. Aug. serm. 83. de tempore, Invidum adumbravit, ubi dicit: *Voto, quo vult alteri nocere, se cruciat, quem sævissimis exagitatum stimulis, ab omni consilio, & mentis sobrietate deturbat invidia.* Et infra addit: *Sicut enim ærugo ferrum, ita invidia ipsam animam, in qua est, interimit & consumit. Et sicut ajunt viperas, dilacerato & disrupto illo ipso, materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci, ita & invidiæ natura illam ipsam animam, à qua concepta est, & consumit & perdit.* Alium ex hoc loco, licet ad eundem finem collimantem, format discursum D. Chrysostomus hom: 52. in Genes: dicens: *Aquas Iusto invident, & neq; Rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere potuit, sed dicit: abi à nobis, quia potentior nobis factus es tu, cujus gratiâ abigis justum? num in aliqua re tibi nocuit? num injuriam intulit? sed ita se habet invidia, nihil cum ratione operatur.* Non exquiras ab invidis rationem, nec sapientiam, nec consilium, qui desipere solùm noverunt in omnibus. Eximiè suis coloribus depinxit invidiam D. Greg: Niss: in vita Moysis, ubi dicit: *Invidia malorum Princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, mucro reconditus, naturæ morbus, telum amarum, flamma cordis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est.*

Invidia absq; consilio hominẽ facit.

Cur invidi dicũtur parvuli.

Dignum non levi consideratione Job cap. 5. protulit effatum, dicens: *Parvulum occidit invidia.* Ergone solos illa necat infantes? solos aggreditur, quos viribus simul ac rationis usu destitutos noverit? minimè. Scimus hoc perniciosum malum cujusq; statûs & ætatis hominibus infestum esse. Scimus in Regum penetralibus commorari Invidiam, residere in aulis Principum, militare in castris, vilia etiam subintrare Pauperum tuguria, nec à sanctioribus exulare cætibus, versari in claustris, æq; Juvenum, Adultorum, atq; senum imperare ani-

mis

mis. Cur itaq; Job solis eam attribuit parvulis? variæ possunt afferri rationes; quarum.

1ma est ex sensu Interpretum, qui cum D. Thoma eundem locum exponendo; loco parvuli ponunt pusillanimem. Nam sicut planeta inferior superiorem obscurat & ecclipsat, non autem vice versâ; ita & abjectæ mentis homuncio, dignioribus invidet, non tamen inverso ordine. Unde D. Greg: Niss: Invidos milvis comparavit, qui cadaveribus pasci, & pretiosis unguentis emori dicuntur. Vilis anima esse debet, quam aliena enecat excellentia. Inde Plinius maximam laudem desumit Trajani, quod præfulgeret absq; aliorum obscuratione, sic illum alloquens: *Tu tamen major omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione.* Cato censorius, Phænix Romanæ gentis, Prudens dictus, moribus & vitâ optimus, nihilominus tamen, neminem in urbe, odium & invidia Concivium tam dirè & frequenter exagitavit, atq; Catonem. Quadragesies sexies accusatus, & in jus vocatus, semper absolutus est. Generosa mens nullâ agitatur invidiâ, abjectissimi ac pusilli animi est, invidere aliis. *Parvulum occidit invidia.* Audiamus D. Greg; lib: 7. moral. c. 37. hac de re disserentem: *Parvulus est* inquit: *qui occiditur invidiâ, quia nisi ipse inferior existeret, de honore alterius non doleret; Parvulus est, qui livore occiditur, quia testimonium perhibet, quod eo minor sit, cujus invidiâ torquetur.*

Ratio 2da quia Invidi quantacunq; felicitate augeantur, minimum se habere putant, si alios æq; felices advertant; parvulos se existimant; si alios quoq; pari sorte crescere conspiciant Hinc D. Bernardus de nimia fallacia præsentis vitæ agens, dicit: *Invidi desiderant soli esse docti, soli consulti, soli gratiosi, soli formosi, soli opulenti.* Sed errant in solitudine sua, juxta illud Psalm: *Erraverunt in solitudine in inaquoso.* Et juxta Jobum c. 12. dicentem: *Ergo vos soli estis homines, & vobiscum morietur sapientia?*

Genes: 37. Narravit Ioseph fratribus somnium dicens: *Vidi per somnium stellas undecem adorare me.* & indignati sunt fratres; quæ

causa indignationis? cùm illos cum collucentibus conferret stellis? non apprehenderunt fratres se stellas esse, lucem suam non vident, cum Ioseph eminere, & splendidior apparere cernatur.

Henricus Farnesius de virtut: Princ: lib: 1. Elog. 28. observat, cepas, luna crescente, extenuari ac decrescere. Unde cepæ infra lunam figuratæ addita est inscriptio: *Te crescente decresco.* Hominis invidi pectus tantundem se decrescere putat, quantum aliorum prosperitati ac gloriæ accrescit. S. Cyprianus lib 2. de zelo & livore: *Qualis est animi tinea zelare in altero felicitatem, in malum proprium, aliena bona convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam, facere suam pœnam &c.*

Homo invidus sub vespertilionis imagine, non incongruè proponi potest, cui à solis conspectu profugo, quidam lemma adjecit: *Solis fulgore tabesco.* Invidus enim alterius gloriâ & splendore plurimum offenditur. Verè ac rectè Seneca Epist: 52. ait: *Humanus oculus caligat in luce.*

Ratio 3tia quia sicut parvuli non sunt sui juris, nec se suis viribus, loco movere valent; ita & invidi sub indomitarum passionum ac dæmonis potestate vivunt, imò in dæmonis possessionem transeunt, ut D. Basilius magnus orat 1. tali argumentatione demonstrat: *Si Deus uti Ioannes inquit, Charitas est, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo; ipsa invidia dæmon sit oportet; ut igitur, qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet, ita qui invidiam fovet, dæmonem haud dubiè in seipso nutrit, atq; alit.* Et D. Chrysost: hom: 41. in matth: hominem invidum, quovis dæmone deteriorem pronuntiat: *Pestiferum malum invidiæ, hominem in diaboli conditionem, & in dæmonem immanissimum convertit. Invidet satan sed hominibus, socio autem nemini. Tu verò homo cum sis, hominibus invides.* Et subjungit S. Doctor: *Invidus ipso diabolo magis diabolus est. Fugiamus* Itaq; monente Veronensi martyre D. Zenone, *invidiam, obstaculum regni cælorum, viam gehennæ, pignus & primitias quasdam pænæ perpetuæ.*

Aliis

Aliis tamen intermissis, ultima sit ratio, quia licet invidia adultioris ætatis inveniat, & sibi subjiciat homines, omnes tamen, quos inficit, ita infatuat, ut cunctos velut infantes, ac unius diei parvulos, æq; consilio, ac rationis adminiculo destitutos reddat. Verùm neq; huic malitiæ gradui insistendum censet invidia, ut triveneficæ Circes imitetur munus, adultos quosq; & senes transformando in parvulos, singulosq; ad infantium detrudendo ignorantiam; majora in suos audet, dum quos tetigerit, interficiat. *Parvulum occidit invidia.* Nimirum mortis insuper æmulatur iras. Nam sicut per mortem, integrum hominis corpus, deperdit sensum ac vigorem, vacuumq; intelligentiâ caput relinquitur; ita invidorum animi, velut occisorum cadavera, omni privantur aptitudine rectioris vitæ, nec ullus invidis, rationi conformis adest sensus, aut intra eorum totam actionum seriem, intelligentiæ motus. Referunt naturalistæ quod piscis aquila dictus, pariendo emoriatur, ex quo illi additur lemma: *Perit dum parit.* Id ipsum invidis accommodari potest, in quorum pectoribus dum concipitur ac gignitur invidia, perit Sapientia.

Multoties Rex Israelitici populi Saul, irrito conatu persecutus est Davidem, & quamvis certo præviderit eum á Deo destinatum, in sui Regni successorem ut legitur 1. Reg: c. 24. *Scio quod certissimè regnaturus sit.* tamen non destitit à prava inferendæ necis Davidi intentione. *Surrexit Saul & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quæreret David.* Quid agis Regum maxime? nosti certò regnaturum David, cur itaq; moliris eum occidere? Non unâ doctus es experientiâ à supremo rerum Moderatore, singulari eum protegi providentiâ, & in Regem servari; quo ergo consilio adversaris infallibili divinæ dispositioni? Palam est, quàm longe aberret invidia, ab omni consilio & Sapientia.

Insanire facit homines invidia

Matth. 2. didicerat ex scripturis Herodes Rex, natum Regem Judæorum, destinatum esse ex Deo ad Regnum, nihilominus tamen *iratus*

Z 3 *occidit*

occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem. putans inter illos perdendum esse præordinatum ad regnum infantem. Quanta hæc Herodis stultitia! quem sciebat regnaturum ex Deo, cogitabat occidere inter alios. Sic insanire consueverunt invidi. Docto discursu eam rem prosequitur Imperfectus hom: 2. in matth: ubi ait: *Si credis Herodes verum esse, quod dictum est de puero; & de stella ejus, quare sine causa insanis in pueros? Nunquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? sed quid mirum, si Herodes homo iniquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse sapientissimus Salomon, cum propter peccatum suum, audißet à Prophetis, Ieroboam Regẽ futurum, posuit persequi eum: putans posse illum perdere, quem Deus protegit.* Et addit rationem huic loco servientem: *quia zelus sapere nescit, & ira non potest habere consilium.* Ita est, cujus animo sese insinuavit Invidia, quamvis sapientissimus Salomon esset, illum desipere facit. Nihil unquàm rationis, nihil scientiæ in invido suspiciet orbis.

Scribit P. F. Carolus Uan Horn Ordinis Eremitarum conc: 17. quòd in Aula potentissimi Darii Regis, duo versarentur fideles ipsius Aulici, quibus in prompti servitii mercedem, desiderans gratiam ac liberalitatem suam exhibere, quodam tempore ambos ad se accersiri mandavit, à quibus sollicitè exquisivit, ut quivis illorum proponeret, quodnam sibi impertiri cuperet beneficium; hac tamen adjunctâ conditione, quod primo eligenti unum duntaxat, alteri duplum tribueret, vg: si primus mille aureos sibi numerandos optasset, alter duo millia recepisset. Cùmq; hi, intellectâ Regis mente, inter sese, diu fuissent altercati, quisnam prior suum aperiret desiderium, tandem unus in hæc verba prorupit: *Ego o Rex expostulo ut mihi mox dexter eruatur oculus.* Obstupefactus Rex, petit, quæ eum invaderet dementia? Cui ipse: *Hoc summo mihi est solatio, ac gaudio, me coelitem tantùm futurum, & adhuc potentem intueri inimicum meum, utroq; orbatum oculo.* O cæcã invidorũ mentẽ! o exitiale venenũ invidiã! quæ mortales plures & priùs mentis, quàm corporis orbasti oculis: Non miror jam

D. Anselmi Sententiam, quâ pronuntiare ausus est, faciliùs longè salvandos esse, qui parum bonorum operum exercent, sua tamen aliis favent merita; quam qui eximiis suis actionibus, invidiam in proximos adjungunt; ita enim lib: de similitud. c. 4. loquitur: *Magis puto ejus salvationem sperandam, qui parum boni facit, & benefactis aliorum favet, quàm illius, qui multa, & invidet.*

ANNOTATIO 3tia.

IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA.

NUllum malum ita nocivum, ac timendum est, quàm illud, cui curando deest scientia. Minùs illa nocent mala, minùs terrent, quibus evitandis sapientia præscribit remedium, illud extremum exitium est, cui solus absq; consilio, homo relinquitur. Expendamus quantum malum esse debeat invidia, cui nunquam associatur sapientia. Occupat animam invidia, intrare in eandem abnuit sapientia; ut in aperto sit: Nullum incurabilius, nullumq; magis desperatum inveniri malum, quàm sit invidia. *Incurabile malum invidia.*

Commodè illam Salomon *putredinem ossium* nominavit. quæ eò, quò profundiùs hæret, curatu difficilior. sicut enim lues ad intima ac medullas ossium penetrans, incurabilis videtur, ita & invidiæ malum.

Ætna Siciliæ mons, puamvis externa facie, nivibus, glacie, aliâq; hyemis inclementiâ obrutus, viscera tamen perenni incendio exæstuantia habet. Hunc montem Philippus Picinellus lib: 2. c. 32. genuinam hominis invidi affirmat esse ideam, cui inscripsit: *Sua viscera vorat.* Et certè, ut ætna inextinguibili absumitur æstu, ita invidi animus insanabili torquetur malo. Eandem similitudinem D. Bernardus tetigit, ubi ait: *Invidia sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, & quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona, ardore pestifero devorat.*

Eleg-

Eleganter S. Chryſoſtomus hom: 45. ad Pop: comparat invidiam, cum verme, illam ipſam arborem, ex qua naſcitur conſumente, dicens: *Sicut vermis de ligno naſcens, ipſum priùs abſumit; ſic eſt invidia, illam priùs, quæ ſe peperit, animam corrumpit.* Quod autem ſupereſt medium illi malo medendi, quod in ſuo ortu, omnia quæ infecerit, corrumpit? Nullum planè. Hinc Cicero 3. Tuſcul: deſcribit invidiam, quòd ſit *ægritudo ex alterius rebus ſecundis, & calamitas ſine remedio odiſſe felicem.*

Cant: 8. *Dura ſicut infernus æmulatio.* Cur potiùs non aſſimilatur morti, ſed inferno? Nam mors ſolum corpus interficit, & quidem manente ſpe tandem aliquando affuturæ reſuſcitationis; parcit animæ, infernus autem etiam in animam ſævit, ſpiritum urit, incendit, cruciat, nullâ viâ hæc mala evadendi relictâ, ex inferno nulla redemptio. Ita planè livor ſævire conſuevit in animos, quos ſibi ſubjugaverit.

Pſal: 17. Exponuntur querelæ alicujus preſſi doloribus: *Dolores inferni circumdederunt me.* S. Auguſtinus legit: *Dolores invidiæ circumdederunt me.* Nullum diſcrimen inter utroſq; dolores inqvirendum cenſet S. Doctor, tam hi quam illi incurabiles ſunt. 1ma Joan: c. 5. Rem non levis difficultatis feracem S. Apoſtolus & Evangeliſta proponit dicens: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Unde variarum quæſtionum occaſionem ſumpſerunt ſancti Patres & Theologi. Imprimis enim examinatur ab illis, utrum detur aliquod peccatum tam enorme & tantæ malitiæ, quod precibus & lacrymis non poſſit elui? 2do inquiritur, utrum poſſint eſſe peccata in hac vita, tam multa & tam gravia, pro quibus Deus orari neqveat? 3tio quid nam intelligatur per peccatum ad mortem? Quantum ad 1mã difficultatem conveniunt omnes, nullum eſſe peccatum, quod precibus & lacrymis non eluatur. Hinc D. Cyrillus Hieroſol: Catech: 2. ait: *Grave malum, peccatum, ſed non incurabile: gravè retinenti, leve autem per pænitentiam abjicienti:* Et D. Arnoldus tract: de ſeptem verbis

Nullum eſt peccatum precibus ac lacrymis inexpiabile

verbis Christi in Cruce: *Non* inquit,*arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina Clementia: sit, qui invocet, erit qui exaudiat: sit qui pœniteat; non deerit, qui indulgeat.* Tandem ut alios omittam. Tertull: lib: de pænit: c. 4. dicit: *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pænam per judicium destinavit; idem veniam per pænitentiam spopondit.* Quantùm ad 2dam quæstionem certissimum est apud Scholasticos, nulla esse Peccata in hac vita adeo multa, adeo gravia, adeo inveterata, pro quibus Deus orari nequeat & placari; deduciturq; ea veritas contra Novacianos, ex Patribus, Conciliis, & Sacris literis. Advertendum tamen ex Cajetano & Bellarmino, rarum esse sive justum, sive injustum, qui in gravioribus peccatis accedere audeat intercessor ad DEUM; quemadmodum in rebus humanis rarò invenitur, qui in causa perduellionis, seu læsæ majestatis apud Principem intercedat. Quantùm ad 3tiam difficultatem, quadruplex est Sanctorum Patrum opinio. 1ma est S. Ambrosii, per peccatum ad mortem, intelligentis quodvis peccatum mortale, afferens mortem, animæ, & addit pro talibus peccatoribus non prohiberi orationem, sed solùm exprimi in scripturis, non cujuslibet hominis orationem pro illis esse proficuam, nisi virorum sanctorum. 2do alii censent peccatum ad mortem, aut esse omne illud peccatum mortale, in quo quis finaliter decedit; pro quo jam orandum non est, cùm peccator sit extra viam; aut esse peccatum, in quo quis usq; ad mortem, quantùm in se est, sciens ac volens persevérat, & ita pertinaciter ac inflexibiliter eidem adhærescit, ut nullis correctionibus, admonitionibusq; sive humanis sive divinis resipiscat. Unde D. Chrysost: hom: 42. in matth: dicit: *Morbus ille maximè incurabilis est, cujus malitia in eo est, ut respuat medicinam, & medicum ipsum reputet inimicum.* 3tio putant aliqui, sub nomine peccati ad mortem, venire illa peccata enormia, à quibus rarissimè convertuntur homines, ob moralem impotentiam pœnitendi, in quam habitu peccandi validiùs radicato, & negligentiâ rerum æternarum per-

Quid per peccatum ad mortem intelligendum?

trahuntur; vocanturq; peccata ad mortem; quia solent adjunctam habere mortem æternam. 4to tandem conformiter ad nostrum propositum, V. Beda, tale peccatum ad mortem, quod ægrè & raro ad sanationem perveniat, non quidem ex medici defectu, qui sanare omnia scit & potest, sed ex pravis dispositionibus ejusmodi animæ, dicit esse Invidiam. Huic Sententiæ videtur subscribere D. Augustinus lib: 1. de serm: Dom: in monte; dicens: *Peccatum ergo fratres ad mortem puto esse, cum quisq; oppugnat fraternitatem & adversus ipsam gratiã, invidentiæ facibus agitur. Illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum malâ conscientiâ & agnoscere & annuntiare cogatur. Quam mentis affectionem jam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse peccare in spiritum Sanctum, id est, per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare charitatem, quod peccatum Dominus, neq; hic, neq; in futuro seculo remittendum dicit.* Ex quo infert D. Basilius magnus orat: de odio; invidiam esse propriè diabolicum peccatum: *Invidentia revera est propria diaboli affectio.* Et sicut peccatum dæmonis insanabile est, ita & invidorum est peccatum ad mortem, malum, quo nullum incurabilius.

Peccatum ad mortem invidia.

Refert Baronius tom: 5. Annal. an. 412. quod Theophilactus Alexandriæ Pontifex æmulatione non laudabili ferebatur in D. Chrysostomum, adeo ut nec in Templo eum nominari passus sit. Sed vindicem sui habuit potentissimum Chrysostomus Deum: Nam Theophilactus in fatali lectulo acerbè cum morte luctatus, emori non potuit, quamdiu Imago D. Chrysostomi non afferretur, hanc religiosè veneratus tranquillè obiit. Ita invidos ipsa mors horrere, aut in longioribus doloribus; quibus æternæ præludant morti, relinquere videtur.

Si autem rationem quis ulteriorem requisiêrit, cur invidia sit malum præ cæteris peccatis magis insanabile? eam à D. Chrysostomo accipiat; quia scilicet invidia non oritur, nisi ex mera malignitate,

cum

cùm cætera peccata, aliquam habeant annexam vel delectationem, vel excusationem. Ita enim hom: 44. ad pop: Antioch: disserit: *Omni venia caret istud invidiæ peccatum: Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem; frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu verò quam dices causam rogo? nullam penitus, nisi tantùm intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere jubemur, quam pœnam luemus, si etiam diligentes oderimus.*

Sic malitiæ tenax, & in proposito obstinatum vitium invidia est, ut nulla ipsi medela valeat applicari, prout Zeno Veronens: asserit: *Nec enim medicum languoris sui assumere, nec remedii aliquid invenire potest invidus.* Bene Alanus dixit: *Invidia erroneæ est cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus.*

ANNOTATIO 4tà

IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA.

PRofana mundi Schola, inter alia sui magisterii perversa, & rectæ Christi doctrinæ opposita dogmata; illud etiam Alumnis suis, exequendum persuadere conatur, ut quivis malum pro malo reddere, vim vi repellere discat, eò gloriosior futurus, quò fortiùs suum repres-serit adversarium. Sed vera Sapientia contrariam hisce proponit doctrinam; novum & gloriosius vincendi genus adinveniens, non resistendo sed cedendo malevolis. Videns enim malevolentiam animæ, non cum illa congreditur, non ejus obsistit malevolentiæ, potiùs ab ea longè recedendum censet, documentum relinquens: Verè Sapientis esse, malevolum vincere non repugnando, & tela telis opponendo, sed benevolè cedendo, ac ejus malitiam declinando. *Sapiẽtis est malitiã alterius vincere, eam declinando*

Aptissimè Salomon Prov: 18. dixit: *labia stulti miscent se rixis, & os ejus*

os ejus jurgia provocat. Cantante gallo gallinaceo, vel unico, cantant omnes, fatuus si incidat in hominem contentiosum, ambo clamare incipiunt. Sapientis est devitare jurgiorum occasionem. Unde S. Valerianus hom. 12. *Plena* inquit, *victoria est ad clamantem tacere, & non respondere provocanti.*

Iurgia vincit silentiũ.

Pericles Atheniensium Dux potentissimus á vili homine lacessitus injuriis, quamvis illi non deesset vindicandi potestas & modus, eas tamen nihili faciens, solo naturæ lumine ductus, suis famulis, teste Plutarcho dixit: *Ite & hunc familiarissimum meum in domum reducite.* Ob quam generositatem ab universa Republica, nomine *Boni Principis* insignitu;nec immeritò ait Themistocles: *quia apud virum bonum, citò moritur iracundia; si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi injuriam fieri.*

Senec: lib: de clemen: *Magni animi proprium est, placidum esse, tranquillumq;, offensas & injurias remittere, muliebre enim est litigare, & moram suæ iræ gerere.*

Psal: 37. Inde gloriatur Propheta, quod omnia adversantium convitia tacendo superaverit, dicens: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Apud Virum prudentem, quædam ex fæminis querelas suas deposùit, quòd ejus maritus ebrius, veniens rixas magnas excitet, illamq; percutiat, huic ille subjecit: accipe remedium, fer tecum istam aquã, & dum maritus redibit, tuo in ore retine, quousq; ad somnum sese vir non composùerit, quantarum virium hæc aqua : res ipsa loquetur. dicto audiens fuit mulier, quare plus rogavit istius aquæ, Sed reposuit vir, quovis ex fonte illam pete, quod enim liquori tribuisti, hoc taciturnitati adscribendum; optimé superabis maritum, si non litigando, sed silendo, ejus declinaveris iracundiam. Quidquid linguam ligat, præstantis pharmaci loco haberi potest. Hinc Prov: 17. legitur: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Et S. Greg: lib: 5. moral: c. 11. his congruè: *Aqua dimittitur, cùm linguæ fluxus effunditur.* E-

Remedium avertẽdarũ rixarum.

cho

cho ſilvarum tamdiu clamoribus reſpondet, quamdiu clamatur, vis illam tacere, tu tace priùs.

De S. Paula Romana D. Hieronymus refert: cùm obtrectantis linguæ verba audiret, continuò animum ad Deum, tanquam ad veritatis & patientiæ aſylum transferebat, & ſilentio obfirmabat, nec ullam apud homines cauſæ ſuæ defenſionem, aut patrocinium quæſivit. Et addit S. Doctor miſeros illos eſſe, qui ab aliis laceſſiti, in verba malè digeſta prorumpunt, nec ſequuntur illud Davidis exemplum dicentis: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; cùm loquebar illis impugnabant me gratis.*

S. Gregorius Nazian: monet nos, ne tanquam veritate ſubnixi, verbis & diſputationibus ſuperiores conemur evadere, meliùs eſt vinci, quàm malè vincere. Addit B. Ægidius *meliùs eſſe ſilendo victos apparere coram hominibus, & hoc modo victoriæ coronam in Dei judicio reportare.*

Lumen illud Eremi, & in virtutum palæſtra exercitatiſſimus Pimenius quadam vice interrogatus: quonam pacto quis executioni mandare poſſet illa Chriſti verba: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis?* Reſpondit: *Si quis contumeliâ aut verbo injurioſo appetitus, cùm innocentiam ſuam, verbum verbo reponendo, tueri poteſt, nihilominus tacet, vimq; ſibi facit, ne verbo contriſtet fratrem, ille verè pro amico animam ponit.*

Ælianus lib. 12. de variis hiſt: & Plut: in vitam Phocionis, referunt, quòd Phocion militarium Reipublicæ Athenienſis copiarum ſupremus Dux, jam innocenter ad mortem condemnatus, dum ei fatalis intoxicatus ſcyphus, exhauriendus porrigeretur, num aliquid dictum filio vellet interrogatus? plus quàm Chriſtianè reſpondit: *Mando hoc ei, ut obliviſcatur potiùs hujus, quem nunc ab Athenienſibus mihi propinatum innocens bibo.* Interim verò filium adventantem, ultimum dilecto Patri amplexum daturum, hoc ſancto erudiit ſermone: *Ego mi fili, te obnixè rogo, ne quid ob injuriam mihi nunc factam, Atheni-*

ensibus malè velis, qui insontem condemnarunt. Imò etiam conquerenti illi, qui exitialem potum præparaverat, quod sibi non esset satisfactum, magnâ animi constantiâ & vultûs serenitate, subridens pretium persolvit. O vere sapientem virum, qui malevolis, etiam vitam prodigendo, cedere maluerat, quam contentioso cum eis foro congredi.

Non levia hujus Sapientiæ reliquit documenta Moyses, qui priùs latro infamis, post in eremo virtuti comparandæ sedulam dans operam, cùm ab Eremi Patribus in publica synaxi probaretur, quantùm profecisset in virtutibus, & unus ex illis altâ voce dixisset: *Quomodo Æthiopem istum in consessu hoc nostro patimur?* Et dato quasi signo illum expellendi, abire jussus est, sed continuo revocatus: rogatusq; quo animo contumeliam illam accepisset, respondit ingenuè: *Turbatus sum & non sum locutus.* Nihil contra expellentes locutus est, sed ad se ipsum interiorem convertens sermonem dixit: *bene faciunt isti homo nigerrime, quorsum tu in tam Sanctorum hominum consortium, temerè te ingeris?* Conformiter Seneca lib. 2. de ira, c. 34. ad Christiana Principia locutus est: *Cum pari contendere, anceps est, cum inferiore sordidum, cum superiore furiosum.*

Aristippus affectus contumeliâ secessit, cum autem à persecutore infestaretur: *fugis improbe:* respondit, *fugio; nam tu potestatem habes maledicendi, ego verò non audiendi*

S. Ambrosius lib: 1. off: c. 6. de David, cui conviciabatur Semei, ille vero non vindicabat, & tacebat, ait: *Non movebatur conviciis, qui abundabat bonorum operum conscientiâ. Itaq; is qui citò injuriâ movetur, facit se dignum videri contumeliâ, dum vult, eâ indignus videri.* Et ideo quoq; canit Ovidius. *Quò quisq; est major, magis est placabilis iræ; & faciles motus, mens generosa capit.*

I. Regum: 24. Iratus ac furens Saul contra Davidem, obstinatè eum persequi non destitit, ita ut etiam vitâ spoliandum censuerit. David autem cùm posset eidem obsistere, imò etiam traditum sibi in manus

nus à Domino Saulum, occidere; non extendit manum suam in eum, sed iram Regis prudenter declinabat. Quo perspecto Saul summo stupore attonitus *levavit vocem suam & flevit, dixitq; ad David, justior tu es quam ego; tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Quis aperuit oculos Saulo irâ obcæcato? quis malevolum instruxit, ut confiteretur David justiorem, quam se? certe nullus alius, nisi sapientia Davidis non repugnantis, sed benevolè cedentis, ac devitantis malitiam Regis. Nunquam hæc didicisset Saul, si ei furioso David obstitisset. Audiamus D. Chrysost; in matth: c. 21. hom. 38. in simili differentem materiâ: *Malum* inquit, *hominem tacendo, & locum dando melius vincis, quàm respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus sed excitatur.* Consonat Damianus: *Magnum quidem & ultra hominem est, asperitatem verborum & verberum, non pati tantùm, sed & non reddere. Illud verò majus est, & divinum quoddam sapit, benefacere iis, qui oderunt vos.*

Benevolentia plus efficit, quã furor contra persecutores.

Matth: 27. Ignominiosissimis compellationibus Salvator mundi toties lacessebatur; nam imprimis homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus dicebatur, ut legitur: matth: 11. Deinde in Beelzebub Principe dæmoniorum ejiciens dæmonia proclamabatur, prout habetur Luc: 11. cognominabatur item seductor &c: In morte autem agnoscitur esse Filius Dei. *Verè Filius Dei erat iste.* Ex quibus rogo signis in morte dignosci poterat Christus verus Dei esse Filius? siquidem præstantiora & evidentiora olim demonstrans divinitatis documenta, persuadere id malevolis non valebat: Blasphemabant nimirum illum Principes moventes capita, ille autem patientissimè sufferebat, non refellendo dicta, sed orando pro persecutoribus: *Pater ignosce illis. Nihil* enim attestante D. Chrysost: hom: de Dav: & Saule: *facit hominem ita Deo similem, sicut inimicis esse placabilem.* Hanc Christi orationem expendens D. Aug: serm: 2. de diversis. convertit sermonem ad Christianos dicens: *Hic jam attende magistrum tuum & Dominum, non in cathedris sedentem, sed in ligno pendentē,*

circum-

circumspectis undiq; turbis inimicorum, & dicentem: Pater ignosce &c. Vide Magistrum, audi invitatorem, numquid tum Dominus Christus pro rogantibus rogavit, & non potiùs pro insultantibus & interficientibus.

Socrates rogatus ab Alcibiade, cur Xantippam uxorem exosam, vafram, atq; molestam, domo non ejiceret? divinè respondit: *Ut domi injuriis lacessitus, deforis illas discam perpeti.*

Actorum *6.* multa in Stephanum probra jaciebant Pharisæi, quibus audiendis vacabat Stephanus, non retorquendis. Quid inde secutum est? *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Et versu 10. *Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur.* Angelo ille similis est, & Angelicâ resplendet claritate ac sapientiâ, qui inter calumnias tacere novit.

Exodi *34.* Magno fulgore facies Moysis coruscavit, quæ causa tanti fulgoris? Sciebat nimirum perferre in faciem, non inferre, audire, non regerere contumelias. Hanc rationem reddit D. Ambros: lib: 2. de offic: c. 7. ubi dicit: *Quantas à populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quàm miti sermone post injurias appellabat? Quomodo consolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus? meritò æstimatus est super homines, & ut vultui ejus non possent intendere.*

2. Reg: 16. Multis à Semei non solum lapidibus impetitus, sed etiam injuriis laceratus David, patientissimus tacebat, contra tam multa Saxorum & convitiorum jacula, solo se patientiæ ac silentii clypeo obarmabat. Quæ considerans D. Ambr: in Apolog: 1. de David. c. 6. exclamat. *O altitudo prudentiæ! o altitudo patientiæ! o devorandæ contumeliæ grande inventum!* quasi diceret nullum Sapientiæ convenientius inimicos vincendi genus cogitari posse, quàm si quis illis non resistendo, cedat, benevoleq; declinet. Verùm concludat hanc Annotationem ad quemlibet hominem ordinata allocutio D. Chrysostomi, qui ad pop. Antioch. hom. 79. ait. *Es homo, ne venenum e-*

vomas

vomas aspidum. Homo es fera ne fias, propterea tibi factum est os, non ut mordeas, sed ut medearis.

ANNOTATIO 5ta.

IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA.

QUod oculus in corpore hominis, hoc Sapientia præstat in Anima. Philo enim hebræus Sapientiam ac Scientiam, oculum auremq; animi dixit, sine qua, anima offusis ignorantiæ profundissimis tenebris, à formosissima sua specie, velut delapsa surdum saxum redditur. Cum itaq; malevolam animam deserat Sapientia, suis ipsa privatur oculis, ita ut nulla, in quæ, propriæ voluntatis pondere præcipitatur, advertat pericula. Miseram illam quis non dixerit animam? quæ destituta Sapientiæ oculo, nec sentit, nec intelligit, quæ suffert mala; perit ipsa, & se perire nescit. Hæc est pæna malevolorum, hæc ultima peccatoris miseria, errare absq; intelligentia, totq; involvi malis, nec habere unde meliùs liceat sapere.

Pæna maxima mali hominis errare absq; intelligentia.

Ad hanc extremam redactus miseriam peccator aptè comparari potest, cum homine peregrino sub caliginosæ noctis tempora ad præcipitia deducto, & inter abrupta montium constituto, qui ignarus sui calamitosi statûs, stare se putat, cum præceps ruat, ad terminum progredi meditatur, & nescit, quod neq; pedem movere valeat, nisi ad interitum.

Aresius, Cicadæ ad solum terræ virorem, caloremq; solis attendenti, & nulla futuræ penuriæ alimenta providenti adscripsit: *Prævidere nescit.* Homines malâ voluntate obcæcatos hæc imago spectat, qui sua fata inter quæ versantur, prævidere nesciunt.

Æsopus ut in illius vitâ refertur, missus à Xanto hero suo, cujusdam negotii conficiendi causâ, obvium habuit Urbis Prætorem, à quo inter-

interrogatus quo iret? respondit: nescire se quo iret. Irritatus ejusmodi responso Prætor, lictoribus eum ad carcerem deducendum commisit. Hic comprehensus clamare cœpit: Vides o Prætor, quàm rectè responderim, nescire me quo irem, quippe qui non prævideram me Tibi in via occursurum, & planè nesciveram me hodie ab his in carcerem compingendum. *Vado igitur quo nescivi.* Hoc contingit miserabiliter in peccatorum cæno putrescenti, & pravis affectionibus involutæ animæ, quæ sub jugum vinculaq; teterrimi dæmonis trahitur, & ignorat quo eat.

Deplorata anima suã ruinam nolens intelligere.

Lucæ 19. Describitur flevisse JESUS super Civitatem, quæ occasio lacrymarum? non alia, nisi visio civitatis sua pericula non advertentis. Flevit JESUS super Civitatem, non flebat Civitas super se, imò ridebat. JESUS enim vidit Civitatem, ejusq; imminentem ruinam, ac ultimam desolationem. *Venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hæc si vidisset Civitas, ipsa quoq; flevisset. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Flevit itaq; JESUS, quia vidit civitatem obcæcatam ad suæ ruinæ prævidenda pericula. Hanc causam lacrymarum Christi assignat D. Greg: hom: 39. in Evang: ubi ait: *Flevit igitur pius Redemptor ruinam perfidæ Civitatis, quam ipsa Civitas non agnoscebat sibi venturam.* Nihil enim miserabilius illa Civitate, illâ animâ, quæ sua mala non intelligit, inter quæ perit.

Luc. 18. quid est, quòd ille mendicus secus viam Hiericho sedens nihil aliud petat à Christo, nisi ut lumen recipiat? clamans: *Domine ut videam.* Nimirum infelix fuit, quia egestate urgebatur; infelix quia non in via, sed secus viam inveniebatur; infelicior quia sedebat; infelicissimus quia ad hæc omnia, cæcus erat. Proinde non petit opes, non desiderat vestem, non reductionem in viam efflagitat, sed rogat ut videat. Omni enim egestate, & rerum penuriâ intolerabilius est, de-

stitui oculis ac lumine potissimùm mentis. Unde Tobias ait: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video.* c. 5. Audiamus D. Gregorium hom. 2. differentem: *Cæcus, à Domino non aurum, sed lucem quærit, parvi pendens extra lucem aliquid quærere.* ut palam sit ex sensu S. Doctoris maximam esse partem felicitatis, lumine donari; ex quo à contrario inferendum est, inter universas hominis miserias & calamitates, maximam esse cæcitatem.

Maximum malum cæcitas animæ.

Exodi 10. Pluribus & quidem gravissimis plagis punivit DEUS Ægyptum; mirum tamen est quod sacer scriptor solam nonnisi pænam, quæ per tenebras illata est, appellet horribilem, dicens: *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti.* Nonne horribilis fuit plaga, cum omne pecus mortuum esset Ægypti? none terribilis pœna per immissionem muscarum, locustarum omnia devorantium, ac ranarum omnia implentium? per tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura per terram? nihilominus tamen soli illi plagæ, attribuit Sacræ Scripturæ textus, quòd fuerit horribilis; quæ causa rogo? Nempe aliæ strages sensibiles erant Ægyptiis, & animam cruciabant & corpus; hæc fuit pæna planè insensibilis, quæ solam aciem oculorum obtundebat, proinde horribilis vocatur. Nulla enim pæna horribilior cogitari potest, quàm quæ lucem eripit, ita ut ne sentiat quis, se perire, dum maximè perit. Servire hic potest, quod D. Ambrosius in Apologia 1. de David cap. 9. innuit: *Bonæ mentis est, vulnus sentire peccati, Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem: quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore pungun tur: sicut doloris sensu non carent; ita etiam non carent sanitatis profectu. Ubi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ.*

Oseæ, c. 7. Proponitur hæc miseria peccatoris in Ephrain, ubi dicitur: *Factus est Ephrain quasi columba seducta non habens cor.* Septuaginta legunt: *Factus est Ephrain quasi columba insipiens & amens, non habens cor.* Duo hic potissimum occurrunt Speciali consideratione digna. Imum est, quare peccatoris in Ephain adumbrati compa-

ratio instituatur cum columba seducta? 2dum, cur cum columba cor non habente? Quantùm ad primum: plurimæ rationes ejus comparationis assignari possunt. 1mo quia sicut columba intra rupium hiatus nidificare solet, ut innuitur Cant: 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*; ita anima peccatoris intra sacratissima Christi crucifixi vulnera se recipere debet, monente S. Augustino, qui lib: 4. contra Jul. c. 3. ait: *Beata vita præstari hominibus non potest, nisi in Christo, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur.* Idemq; tali animæ accomodari potest, quod columbæ intra fissuras rupium nidificanti additur: *secura nidificat.* Nullibi enim securam ac veram quietem peccator certiùs reperiet, atq; in Crucifixi vulneribus, ut affirmat D. Bern: serm. 61. in Cant: *Et revera ubi tuta firmaq; infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securiùs habito, quantò ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado, firmatus enim sum supra firmam Petram.* 2do quia sicut columba juxta D. Bernardum, Hugonem Cardinalem, & alios, gemitibus gaudet, non habet enim alium cantum, quàm gemitum. Ita congruum est, ut peccatrix anima instar columbæ, assiduos contriti pectoris gemitus ac suspiria eructare discat; exhortante ad id, S. Nilo, Paræn: 54. *Quæcunq; iniquè fecisti, omnia cum gemitibus recordare; oritur enim hinc animæ continua compunctio.* 3tio quia sicut columbæ dicuntur residere juxta fluenta in solitudine; sic & anima pænitens, ut in solitudinem interiorem descendat, ibiq; gemat, & fluenta lacrymarum adamet, necessum est. 4to Columba fune, quo tenebatur, abrupto, in libertatem asseritur, cui additum lemma: *Effracto libera vinclo*. Peccatores istud emblema concernit; his enim post disrupta peccatorum vincula, & præcisam peccati occasionem, in libertatem filiorum Dei eluctandum est, ut cum Regio vate gloriari valeant: *Laqueus contritus est & nos liberati sumus* Psal: 123. 5to Columba aquis vicina assidere solet ut in iis accipitrem venientem ab umbra explorare possit, juxta illud Cant:

Cur peccator comparetur cum columba seducta.

Cant: 5. *Sicut columbæ super rivos aquarum.* Huic P. Jacobus masenius addidit Epigraphen: *Umbras cave.* Similiter peccator veram ad Deum conversionem cogitans, vel ipsam peccati umbram sedulò evitare tenetur. Hanc ipsam similitudinem adhibet Richardus Victorinus cap. 37. in cant: quamvis in diversa materia, ubi dicit: *Solent columbæ super rivos aquarum residere, ut umbram accipitris, in aquis videant, & ita super aquam se projicientes, ejus ungues evadant; ita boni umbras dæmonum in scriptura vident, cùm omnimodam deceptionem eorum, ibi reperiunt.* 6to Ajunt columbas ægrotas lauri folia ad nidum deferre, & tali via pristinam recuperare salutem, unde lemma adjicitur: *Ut sanemur.* Laurus est insigne victoriæ; proinde etiam peccator saucius telo iniquitatis, laurum deferre, hoc est victoriam sui procurare debet, ut sanetur. 7mo tandem quod proposito nostro maximè congruit: quia sicut columba quamvis privetur pullis, minimè considerat, minimè dolet, nec suum malum advertere videtur; ita & peccatores ad hanc cæcitatem deducuntur, ut non videant sua damna, nec pensent pericula. Demus aurem D. Hieronymo doctè in hanc Sententiam discurrenti: *Sola,* inquit, *Columba ablatos pullos non dolet, non requirit: eundem in modum iniquus ut seducta columba ablatam gratiam, ablatam æternam vitam, ablatum cælum, animam, Deum, non dolet, non requirit, quia non sentit.*

Quantùm ad 2dum Optimè peccator comparatur cum columba non habente cor. 1mo ex eo: quia juxta Gregorium lib: 2. c. 11. in Lib: Reg: ait: *Reprobi corda sua non habent; quia ea diabolus possidet. Unde & de proditore dicitur, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes. Si enim Iudas cor suum, & non diabolus possideret, ipse potiùs in eo bonum quàm diabolus malum poneret.* Et paulo post addit: *Quotiescunque graviter delinquimus, cor nostrum non habemus. Quare Ieremias Iudaico populo graviter delinquenti improperans ait: Audi popule stulte qui non habes cor.* Jerem: 5. 2do ex eo: quia si stamus judicio Carthusiani, cor sumitur non solùm

Cur cũ columba non habẽte corde

lùm pro potentia appetitiva tam corporali quàm spirituali. Sed etiam pro cognoscitiva corporali item, & spirituali. Peccator itaq; est tanquam columba sine corde, hoc est sine intelligentia, ut pereat & se perire nec sentiat nesciat. Hinc etiam juxta versionem, confertur cum columba insipiente & amente. Quid illo miserabilius? quid infelicius cogitari potest? 3tio ex Aristotelis sententiâ: Cor est Principium vitæ, & ultimum mori. Siquidem ergo peccator privatur corde, eo ipso destituitur vitæ Principio, unde vitam trahere ac sentire valeat. Hæc ultima peccatoris miseria, quod erret absq; intelligentia, sensim absq; sensu pereat.

Congruentissimâ id ipsum similitudine adumbratur Job 4. ubi dicitur: *Consumetur velut à tinea*, S. Greg: magnus in hunc locum: *Tinea damnum facit, & sonitum non facit: ita iniquorum conscientiæ, quia damna sua considerare negligunt, integritatem & gratiam, quasi nescientes perdunt, & quasi a tinea consumuntur, quia sine sonitu morsum culpæ tolerant, dum quanta detrimenta vitæ, gratiæ amissionem patiantur, ignorant.*

ANNOTATIO 6tà

IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA.

COnstat ex superiùs dictis per veram Sapientiam, intelligi á Sanctis Patribus virtutem. Errat itaq; illa anima, quæ eodem corde virtutem & vitia, Deum ac diabolum, intendit complecti. Implacabile quisq; sciat, inter virtutes ac vitia dissidium esse. Peccatum & Sapientia seu virtus, simul in eadem sede non commorantur. *In malevolam animam non introibit sapientia.* Pyramidi à perpendicularibus radiis solaribus illustratæ, nec minimam ex ulla parte umbram spargenti, inscripsit quispiam: *Umbræ nescia.* Eadem virtutis prærogativa est, quæ omnem vitiorum umbram, præsenti suo splendore pro

Virtus & peccatum non commorantur ad invicem.

re propulsat. Hinc Tullius in Tuscul. 3. *Sapiens animus nunquam est in vitio, nunquam turgescit, nunquam sapiens irascitur.*

Insula Ivica, nulla venenata animalia pati potest, cui lemma adjectum: *Nec minimo temeranda veneno.* Parem & virtus naturam refert, cui nullum cum vitiis consortium. Rectè ab Ethnicis peccatum negationi persimile dicitur, quæ adeo malignantis est naturæ, ut quidquid post se invenerit, destruat. Pereleganter à Cicerone in Paradoxis est dictum: Vitam justi debere esse adinstar carminis, *cui si vel syllaba desit, aut exerret, exsibilaris.*

Genes: 27 non sine mysterio factum est, ut duo illi fratres Jacob & Esau, paternæ benedictionis candidati, simul convenire non potuerint, sed uno recedente, alter intravit, ut sacer textus testatur: *Egresso Iacob foras, venit Esau.* In his fratribus, virtus & vitium adumbrata sunt, quæ nunquam inter se, bene conveniunt, nec in eadem sede commorantur. sed cujuscunq; animo peccatum sese insinuaverit, ab eodem virtutem excludi necessum est.

Lucæ 19. Ad ingressum Christi in Domum Zachæi publicani & peccatoris, omnia simul effugiunt vitia. *Ecce,* inquit, *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* In quem locum scribens, S. Ambrosius ait: *Zachæus excipiendo Christum, exclusit avaritiam; relegavit perfidiam, renuntiavit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Et paulò post introducit ipsum Zachæum loquentem: *Iam non sum Zachæus, non prædo, non fraudator. Reddo quæ sustuli; reddo quæ auferre consueveram. Iam dono pauperibus, quos antè nudabam: jam mea confero, qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina, postquam Christus intravit. Diffusa est omnis carnalium cæcitas passionum, ubi æternæ vitæ lumen infusum est.*

Exod: 23. Cur tam numerosi Ethnici in terra promissionis occiduntur, ut electus Dei populus inducatur. Sic enim Deus ad Moysen loquitur: *Præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum,*

& Hethæum, & Pherazeum, Chananæumq; & Hevæum, & Gebusæum, quos ego conteram. D. Chrysostomus citatus in Gloss. per enumeratas Gentes, vitia, & per Israelitas, virtutes interpretatur, ubi addit: *Non enim possunt virtutes cum vitiis morari.* Matth: 9, Christus Dominus dicit. *Neq; mittunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres, & vinum effunditur.* In quem locum D. August: serm. 186. de temp: *Spiritualia:* inquit, *non capit carnalis. carnalitas vetusta est: gratia novitas est.* Et S. Bern: serm. 3. de Alcens. Dom.: dicit. *Nec mittunt vinum novum, nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neq; enim spiritus & caro, ignis & tepiditas, in uno domicilio commorantur.* Eandem David, virtutem inter ac vitium, discordiam expressit. Psal. 5. *Neq; habitabit juxta me malignus.*

I. Reg: 5. In eodem altari Dagon & Arca Domini consistere unà nequeunt, proinde illatâ Arcâ Domini & positâ in altari, toties dejicitur Dagon, quoties restituitur aræ. *Rursumq; mane, die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra, coram Arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen.* dicit sacer textus. Huic idolo ad præsentiam Divinæ Arcæ corruenti additur lemma: *Nec in una sede morantur.* Nulla equidem virtutis & vitii, Dei & diaboli in eadem hominis anima combinatio. Unde D. Hieron. ait: *Nec enim Arca Dei poterat esse in loco, ubi simulacra introducta fuerant.* Asserunt naturalistæ hanc esse inditam à natura proprietatem, Unicorni, ut alia omnia animalia à suo nido depellat, & ab eorum consortio abhorrescat, hinc Præcipuus naturæ indagator Plinius dicit: *Nullum aliud animal ad nidum suum admittit.* Simili modo virtus omnia vitia, ab ea, quam sibi vendicat animam, penitus expellit ac excludit.

De Alexandro magno refert Plutarchus quòd ipse Cervæ, præcavens, ne in tela aut manus Venatorum incideret, imponi curaverit auream torquem, cum hisce impressis verbis: *Noli me tangere, quia Cæsaris sum.* Hoc votum, hic animus cujusvis Christiani hominis esse-

esse deberet, ut impellente ad vitia animarum hoste; exclamet: *Noli me tangere, quia virtutis ac Domini Virtutum, ego sum.*

Joan: 2. Ingressus olim Christus Ierosolymam, *invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes. Et cũ fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Quænam ratio, quòd mansuetissimus aliàs Dominus, tam acriter insistit his hominibus de templo ejiciendis? 1ma potest esse ex verbis ipsius Christi dicentis: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ita nimirum displicet Christo irreverentia templi, ut qui multa alia delicta benignè dissimulare ac condonare consueverit, aut saltem aliis puniendi munus committere; hîc verò, ubi de Ecclesiæ dishonore vindicando agitur, non in Apostolos eam curam rejicit, sed ipse in sua persona, flagellum facit, ultionem sine misericordia, de profanatoribus sacri loci, sumpturus; eo exemplo declarando quód nihil magis divinam provocet justitiam, quam Domûs Divinæ irreverentia. Nec immeritò: *Ecclesia* enim ut ait S. Chrysost: hom: 2. in Gen: *locus est Angelorum, locus Archangelorum, Regia Domus Dei, & cælum ipsum.* Unde S. Paulus 1. cor: 3. monet. *Si quis violaverit templum Domini, disperdet illum.* 2dam rationem affert S. Iræneus, qui afferit ideo Christum severiùs egisse cum ejusmodi negotiatoribus, quia non rectâ intentione ingressi sunt sacras ædes; licet enim externis signis ostentare viderentur pietatem; attamen [inquit prædictus Doctor] ad divinum cultum, atq; sacrificium non attendebant, verùm proprio studebant lucro; non erat iis cura de sacrificiis, sed de sordida avaritia, proinde justâ promeruerunt à templo arceri vindictâ. 3tia ratio est, quam aptissimè ad rem præsentem, & brevissimè accommodavit D. Ambros. lib. 2. de Abel & Cain. cap. 4. *Christus,* inquit, *de templo ejiciebat nummularios, quia ipse volebat intrare.* Ac si non posset Templi Sanctificator, cum Templi profanatoribus in eodem templo convenire; sed necessariò essent hi ejiciendi, ut ille ingrederetur.

Cur de tẽplo flagello expelluntur vendentes.

Fluvius Narva dictus totam cingens Lithuaniam, non solùm ve-

nenosos serpentes in sinum suum non admittit, sed etiam à suo illos districtu procul arcet. Sic Christus ac Virtus excludunt vitia.

Plurium aliarum Annotationum in eundem textum possunt esse semina. 1mo Detrectat in animam introire Sapientia, antequam ab anima exeat malitia. Sapientis enim est excludere de animo & confiteri culpas, insipientis autem fovere intra conscientiam & occultare. Hinc Dauid Psal. 50. *Iniquitatem meam ego cognosco.* Eleganter D. Ambros: lib: 1. de interpellatione cap: 6. ait: *Lapsus suos Sapiens agnoscit, non agnoscit insipiens; lapsibus suis Sapiens compungitur, insipiens delectatur. Iustus accusator est sui, insipiens assertor. Iustus prævenire vult accusatorem confessione peccati, injustus peccatum suum occultare desiderat.* Et lib: 3. in Luc: *Si iniquitatem*, inquit, *suam Dei amicus agnoscit, cur tu de confessione criminis erubescas, cum criminis commentum, non confessio sit pudori.* Joannis 11. Suscitaturus Christus Lazarum magnâ voce clamavit: *Lazare veni foras.* Inquirunt SS. Doctores cur Salvator Lazarum ad vitam revocaturus, non utitur potiùs hac allocutione: *Lazare dico tibi surge*, vel revivisce; sed *Lazare veni foras.* & dicunt Lazarum esse figuram per peccatum hominis demortui, qui tali viâ rediturus est ad vitam, si per confessionem eduxerit in lucem peccatum absconditum intra conscientiam. Audiamus D. Greg: hom 26. in Evang. hunc locum, interpretantem: *Lazaro nequaquam dicitur revivisce: sed veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: veni foras, ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere; quia apud te interiùs per negationem lates. Venit itaq; foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator.* Bene D. Cyprianus lib: 1. epist: 3. dixit. *Primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere.* 2do Sapientia non introibit in animam malevolam.

Ho-

Hominum usus obtinuit, alienas scrutari conscientias, ad ipsa interiora animæ penetrare. Sapientia autem non introibit: quia Sapientis est, se ipsum, non alios, propriæ reflexioni ac considerationi subjicere, sibi introspiciendo immorari, non aliis. 3tio Dolendum est quòd exclusâ sapientiâ, malevolentia animam possideat, eiq; imperet. Faciliùs persæpe mali, quam viri sapientes, hominum demerentur gratias, & ad possidendos animos aditum inveniunt. Rectè Seneca: *Raro* inquit, *contingit felicem esse Sapientiam.* &c. &c.

ANNOTATIONES

IN textum qui sequitur: *Nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ex variis fontibus possunt deduci reflexiones. 1mo ex eo cur in malevolam animam ne introitura quidem Sapientia prædicitur; in corpore autem subdito peccatis, solùm non habitatura? 2do Cur Sapientia respuit habitationem in corpore subdito peccatis? 3tio non uni, sed pluribus peccatis corpus dicitur esse subditum. &c. &c.

ANNOTATIO 1ma.

NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.

QUid est, quòd Sapientia solam nonnisi habitationem in corpore subdito peccatis habere recuset? quæ ne primo quidem aditu malevolam dignabatur animam. Ergone plus hanc malis involutam aversatur, quàm corpus subjectum culpis? Ita est. magis displicet Sapientiæ mala voluntas animæ, utpote principalioris in homine partis, quàm delictum corporis, quod ejusdem regimini subesse debe *Magnorum ingens est lapsus.*

deberet. Minùs est si quis de æqualium aut subjectorum numero exerret; ille gravissimus error est, qui principem involvit animum. Magnorum ingens est lapsus. Magna censetur in oculo macula, quæ in reliquis membris modica reputatur. Sic spina oculo vel levissimè infixa plus nocumenti affert, quam si manui, vel pedi, altum inhæreat. Unde lemma eidem additur: *Auget præstantia labem.* Lapsus nimirū è Personæ gradu vel dignitate, plurimum incrementi accipit. Proinde S. Greg. hom: 17. in Luc. 16. utilem Viris spiritualibus ingerit reflexionem, dicens: *Nullum puto fratres Charissimi ab aliis majus præjudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos aliorum correctioni præposuit, dare exempla pravitatis cernit.*

Nemo advertit si minora ecclipsentur sidera, omnes excitantur ad spectaculum, ut solem in ecclipsi decumbentem avidè circumspiciant, nulliq; in eo considerando parcunt studiis, teste Seneca qui lib: 7. nat; quæst. c. 1. ait: *Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet, nemo observat lunam nisi laborantem.* Propterea etiam hac inscriptione notatur: *Spectatur dum deficit.* Pulchrè hac similitudine exprimuntur ii omnes, quos Deus tanquam luminaria magna ut præessent aliis, in ordine universi constituit. Illorum enim semper notabilis casus; errorq; sine gravi nota esse plerumq; nequit; ut bene advertit juvenalis.

Vitiū à majori cōmissum notabilius redditur.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat habetur.

Hic servire potest, illa, quam adhibet Virgilius, similitudo:

Majoresq; cadunt altis de montibus umbræ.

Sicut enim quò sublimior mons cernitur, eò majorem projicit umbram; ita quò eminentior Persona quæ peccat, eò gravior & lapsus. Tantò turpius est crimen, quantò conspectius in alto. Hoc Deus exprobravit Salomoni Eccl: 47. *Dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum.* Infamasti tantam gloriam tuam factus ā libidinis & idololatriæ maculâ, eò nunc ignobilior, quò antea gloriosior.

D. Chrys-

D. Chrysost: hom: *14.* in matth: refert, quòd serpens, totum se ipsum tradit, nec minimum curat, si corpus inciditur; modo caput suum integrum servet, Hinc eidem in gyrum convoluto, caput suum unicè ac studiosè abscondenti, inscriptum est: *Tutus ni capite læsus.* Id ipsum de Viris honoratis dixeris: Nam hi tanquam subditorum Capita, si à gravioribus culpis immunes vixerint? reliquum totum subjectorum corpus, salvum ac incolume constituunt. Si cadant? plurimos suo casu trahunt, in ruinam. Eleganter id ipsum Carolus Rancatus vastæ arboris emblemate demonstrat, quæ turbinibus quassata, multas in ambitu suo confregit ac prostravit arbores, cui epigraphen è Catullo desumptum adjecit: *Cominùs omnia frangit.* Porro magni celebresq; Viri sunt, adinstar præcellarum arborum, qui suis malis, ruinisq; multos prosternunt, ac in eandem præcipitant noxam.

Isaias cap: 14: attentè considerans pulchritudinem, splendorem, fortitudinem ac alia ornamenta naturæ Luciferi, simulq; expendens præcipitem illius lapsum, admirabundus clamabat: *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram qui vulnerabas gentes; qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei, exaltabo solium meum.* Diceret non nemo insultantis hunc affectum esse; sed pientissimus insultaretne Propheta, miserabiliter ad ultimam devoluto inferni calamitatem? adaugeretne seriâ exprobratione ruinam, & non potiùs convenienti prosequeretur compassione lacrymabilem afflictissimi statum? Cæterum si advertamus hunc infelicem casum superbi satanæ fuisse, haud mirabimur, etiam corda divino Spiritu agitata in ejusmodi calamitate exultasse; Superbus enim cadens insultationem, non compassionem meretur. Exodi 14: Rex Pharao cum numerosissimo Exercitu suo populum Dei persequens, post longam cum aquis luctam in mari rubro, unà cum suis copiis submersus est. Quanta hæc Ægyptiorum fuit clades! cum tot invicti Duces, absq; prælio, solius undæ impetu prostrati, tot juvenes in florida ætate turbulentissimo mari suffocati, tam copiosus exercitus rela-

bentium aquarum fluctibus involutus, uno pene momento interiit. ſpectabant hebræi ad littus maris conſtituti, dolendam ægyptii populi ſtragem; videbant innumera mortuorum corpora impelli ad littus, & ſuis cernenda oculis proponi fœdè diſtenta cadavera; neq; tamen lugubri ſpectaculo emolliebantur in lacrymas; non excitabantur ad ſuſpiria & gemitum; ſed potiùs lætis vocibus tam inſperatæ ægyptiorum cladi alludebant, ut omnia ad hilaritatem compoſitis hymnis & canticis perſonarent: *Tunc cecinit moyſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino.* Exod: 15. Quid eſt quòd lugubri numeroſæ gentis fato, non ad lacrymas & commiſerationem Iſraelis excitarentur pectora; ſed ad feſtiva tripudia. Nempe ſuperborum erat calamitas. Examinemus quæ arrogantia ac præſumptio deduxit in aciem, tumidum Pharaonem. Non verebatur ille blaſphemo ore, contra ipſum aſſurgere Deum: *Quis eſt Dominus ut audiam vocẽ ejus.* Exodi 5. Pollicebatur ſibi victoriam dicens: *Perſequar & comperehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea.* Proinde ejus clades non compaſſionem, ſed inſultationem merebatur.

Cæterùm prædictus affectus convenientiùs videtur admirabundi fuiſſe Prophetæ: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer?* Illa quæ ſtuporem ac admirationem movent, inſolita eſſe conſueverunt. Miratur ergo Iſaias caſum luciferi, ut oſtendat non ordinarium illum lapſum at inſuetum & graviſſimum fuiſſe. Quò lucifer dignior ac perfectior habebatur, eò indigniùs aberravit, ut nec Propheta modum ac menſuram erroris exprimere poſſet. Mirari tantùm, non eloqui grandem valebat errorem. *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer?* Præclarè Cælius ſecundus dixit: *Graviſſimus in imperio morbus eſt, qui à capite procedit.*



ANNO-

ANNOTATIO 2da.

NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.

NOvit ſubeſſe aliis, novit jugum pati Sapientia, ſed non peccatorum. Duriſſima nempe vitiorum ſervitus eſt, quam ferre nequit Sapientis animus. Multum enim deſipit ille, qui ſe peccatorum ſubjicit dominio.

Quis plenè explicare poterit, quam miſera ſit peccatoris conditio, quem velut mancipium viliſſimum, catenis vinctum, trahunt in præceps vitia; aut quod ignominioſius, nec ulli ſapienti conveniens, capiſtro in os ejus, aut collum injecto, tanquam jumentum, omnem in partem, quò libet, trudunt, agitant, impellunt. O quàm acerbum eſt hoc ludibrium Deo & Angelis ejus, quàm abjectiſſima ſervitus, quàm crudelis tyrannis! & tantò quidem ærumnoſior, quòd peccator ipſe ſuâ ſponte, hæc ſibi vincula, hoc frenum injiciat. *Iniquitates ſuæ capiunt impium.* inquit Salomon Prov: 15. *& funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* *Stultitia peccatis ſubjici.*

A tam inſipienti conſilio reducere conatur mortales divinus Plato libr: 9 de Repub: ſic alloquens hominem: *Quoties peccas toties te velut catenâ revinctum, nequiſſimo, & ſpurciſſimo Domino, pro mancipio tradis.* quaſi diceret: quivis ratione præditus, meliorem inquirit Dominum, cui ſerviat, quare inſipientiſſimum illum eſſe, in comperto eſt, qui nequiſſimo, & inſuper ſpurciſſimo Domino ſe ſubjicit. Unde Cynicus ille Diogenes, ut refert Philo, cum adverteret quendam de ſervitute hominis liberatum, novâ felicitate exultare, gratulanteſq; eam liberatem, amicos audiret: *Miratus eſt fatuum eorum judicium.* quaſi crederent è ſervitute exiiſſe, qui pravis affectionibus non dum renuntiaſſet. Et addit Philo: *Servi & verberones ſunt omnes, quotquot, non hominibus, quod leviùs eſt; ſed rebus viliſſimis, mero, aliiſq; co-*

quorum

quorum ac cupediariorum curiositatibus, in gratiam ventris dant operam.

Genesis 9. Primus locus Sacræ Scripturæ legitur, in quo servi nomen auditur, ubi Noe filio suo Cham maledixit; dicens: *Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Tria potissimũ hic consideranda occurrunt. 1mo cur maledicitur ille, qui in servitutem aliorum destinatur? 2do cur pueri nomine compelletur? 3tio cur non quomodocunq; servus, sed servus servorum denuntietur? Quantùm ad 1mum S. Augustinus duplicem servitutis causam assignat, unam adversitatem, alteram iniquitatem, dicens: *Servum, hominem homini, vel iniquitas, vel adversitas dominari fecit. Iniquitas quidem sicut dictum est; maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis; adversitas vero sicut accidit ipsi Joseph.* Servitus itaq; ad quam damnatur Cham, ab iniquitate sumpsit exordium, proinde maledictioni subjacet, ut palam cuiq; sit servitutem, quam inducit peccatum, omni servitute duriorem & intolerabiliorem esse. Nam sicut maledictorum, ad inferos damnatorum conditione, nulla deterior, nulla vilior & acerbior, ita nullum gravius jugum, quam quod homini imponit peccatum.

Grave peccati jugum

Hinc etiam ex sensu D. Augustini solus peccator, jure servus dicitur: Sic enim lib: 19. de Civit: cap: 15. ait: *Conditio Servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo, Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaq; istud culpa meruit, non natura.*

Quantùm ad 2dum pueri nomine illum denotat: *Maledictus puer.* Nam sicut pueri, aut rationis usu non dum præditi, aut maturo destituti judicio, plerumq; variis in actionibus desipiunt, & exerrant; ita plurimum desipit ille, qui se peccato subjugandum permittit. Tandem servus servorum denuntiatur, ut vilitas ac indignitas hujus servitutis, maxima declaretur; quò enim viliorem quis patitur sibi dominari, eò vilior ac contemptibilior esse convincitur; cùm ergo Cham, non alicujus Domini, nec unius potestatis, sed servus servorum effi-

citu

ditur, quis non videat ad quantam deturbetur ignominiam: Unus enim plurium tyrannidem & jugum sufferre cogitur. Rectè peccator comparari potest cum illo rationis experte pullo asini, quem Dominus ad se adduci imperavit; eumq; Marci 11. narrat Evangelium, fuisse *ligatū ante januam, foris in bivio*, seu ut legit D. Ambrosius lib. 7. in Luc. *foris in transitu.* Ubi pluribus verbis significatur, satis apertus & pervius fuisse locus ille, in quo hic pullus ligabatur, non sine mysterio, ut declaretur peccati servus palam & in propatulo expositus, omnibus cupiditatibus ac libidinibus, tanquam pluribus Dominis coercendus. Sed jam demus aurem discursui D. Ambrosii, qui in Epist: ad Colloss: cap: 4. sic ratiocinatur: *Apud Deum*, inquit. *hic servus habetur; qui peccaverit. Deniq; peccati causâ, Cham servus audivit: Maledictus puer Chanaan: servus servorum erit fratribus suis. Cui sententiæ veteres assensêre: ita ut definirent omnes prudentes esse liberos: stultos omnes esse servos: quia prudens abstinet à peccatis; stultus subjicit se peccato.* Non miremur ergo quod Sapientia recuset habitationem in corpore subdito peccatis.

A N N O T A T I O 3tia

NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.

Mirum esse videtur quod corpus, in quo manere recusat Sapientia, non uni, sed pluribus peccatis subditum esse perhibeatur? cæterum si consideratiùs proprietatem peccati expenderimus, haud mirabimur. Semper enim vitia, nisi primo in aditu excludantur, associata progredi consueverunt. Ubi vel unicum peccatum stationem fixit, statim plura irruunt, ut vix unquam solitarium incedere advertatur peccatum. Unde Tobias cap: 4. monet diligenter suum filium dicens: *Cave ne aliquando peccato consentias.* Noverat equidem pi-

Nūquā solitariū incedit peccatum.

entissimus Pater; lubricam esse viam ab uno peccato ad alia. Qui negligit lapsum suum, haud unico invenitur obnoxius peccato, sed sicut rupes ex alto præceps ruens, multos secum lapides & sordes trahit deorsum; sic in ruina peccantis & negligentis, contingit plurima connecti crimina. Cujus ratio multiplex est. 1mo quia id divina Justitia exigit, ut qui ausus est Deum offendere, & in peccato hærere, meritò à Deo deseratur, & in aliud ruere permittatur. Audiamus D. Gregorium in hanc sententiam perorantem. *Peccatum*, inquit, *si citiùs pœnitendo non tergitur, justo judicio Omnipotens Deus, obligatam peccatis mentem, etiam in alteram culpam permittit cadere; ut qui flendo & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum peccato incipiat cumulare.* 2do id contingit ex magna fragilitate, quam contrahit voluntas, amissâ per peccatum gratiâ. Nam sicut recedente animâ, corpus labitur, magisq; ac magis in horas & dies fætere ac corrumpi incipit, ita pariter anima rationalis, vivificante se destituta gratiâ, majoribus involvitur malis. Et sicut subtractis domus columnis, quibus innititur, cadit fornix, fornicem superius conclave sequitur, ruente conclavi ruit tectum, unum trahit alterum; ita homo contractâ Gratiæ sanctificantis columnâ; cui tota basis ædificii spiritualis incumbit, huc illuc lapsando vacillat, corruit, & in ultimam devolvitur perniciem. Accedit huic rationi robur à communi Theologorum sensu, qui docent non posse hominem sine gratia, diutiùs omnia peccata mortalia vitare. 3tio provenit etiam id, ex eo: quia sicut virtutes inter se, quandam connexionem habent, juxta illud Psalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem*; ita & peccata nexu quodam colligantur, ut hîc verè illud usurpari possit: *Abyssus abyssum invocat*, dum peccator de peccato in peccatum ruit, quòd statim à lapsu surgere non curavit. Hæc ipsa doctrina multis deducitur instantiis. Nam ut incipiamus à Principe Apostolorum Petro; hic imprimis fuit sibi præfidens, & aliquantùm arrogans; deinde, quo tempore precandus erat Deus, dormivit; cùm quiescendum, pugnavit; cùm standum, fugit; cùm liberè confitendum

Ratio cur unum peccatum trahit ad aliud.

cendum, negavit, & juravit; hisce gradibus ab uno peccato volvebatur ad aliud. Quid de Iscariote dicendum, neq; ille statim sceleratissimus exstitit, sed primò tenax æris & cupidus, postea avarus, successu temporis murmurator, fur, obstinatus, è discipulo Christi inimicus, dominicæ cænæ impius conviva, Proditor Iesu ac venditor, Dux & antesignanus sicariorum. Simile exemplum in Davide conspicimus, qui primò otiosius, deinde curiosius ac immodestus, tandem libidinosus, adulter & homicida. Pluribus aliis similibus instantiis plena est scriptura & historiæ. Pulchro emblemate idipsum depingitur apud Ioannem Baptistam Mazzolenum, qui unius hominis vafritiem demonstraturus, curavit depingi niveum globum, per montis præcipitium devolutum, ubi ex sociata nive, in amplam molem excrevit, cui addidit epigraphen: *Cumulata cadendo.* Ita scilicet homo unius peccati casu, in plura devolvitur scelera.

Joan: 4. Fatigatus ex itinere Christus, supra fontem sedens, Samaritanam mulierem de unico tantùm incontinentiæ arguebat peccato, quòd scilicet pluribus commisceretur viris: *Quinq; viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* illa vero conscientiæ stimulo tacta, relinquens hydriam ad puteum, citato passu cucurrit in urbem, evocās omnes ad omniscium Prophetam, nuntiansq; illis dixit: *Venite videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci.* Quid est? unum Salvator mundi, exprobravit illi delictum, silentio pressit cætera; mulier tamen, omnia sua prodiisse in publicum peccata enuntiat; voluit nimirum significare, nunquam solitarium incedere peccatum. Quò vel unicum procedit, plurima alia subsequutur. Eandem difficultatem movet D. Chrysostomus homil: de Samarit: ubi ait; *Unum tantùm dixit ei scortationis peccatum Christus, & illa relictâ hydriâ, cucurrit ad urbem dicens: Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunq; feci.* quasi mulier illa diceret: sufficit vel unius me convictam esse sceleris, quisq; facilè inferre potest, non unius criminis me ream esse. Peccato lasciviæ me contaminatam nuntiavit Christus: O-

mnia ergò alia crimina mea palam fecit; Haud enim unum absq; comitatu plurium scelerum, incedere consuevit peccatum.

Errores fœcundi. Didacus Savedra volens demonstrare, quàm sint fœcundi errores, lapidem depingi fecit, qui in aquam projectus, ex aliis alios identidem innumeros circulos, intra undas efformat; cui additum lemma: *Ab uno multiplices.* Quod ipsum D: Greg: Nazian: pulchro carmine expressit.

Et lapidem, si quis tranquillas mittat in undas,
Egregios turbat latices, vitiatq; colorem.
Multiplicesq; orbes; summâ nascuntur in undâ.

Cujus emblematis sensum, aptè accommodat rei nostræ, Justus Lipsius. Centur: 1. Cap: 13. dicens: *Licentia una, janua & aditus ad omne scelus.* Et S. Chrysost: serm de Absalon: eandem promovet sententiam, ubi ait: *Semper scelera, dum non reseranturr, increscunt, & in augmenta facinorum prosilitur.* Accedit & S. Augustini authoritas, qui lib: 8. conf: cap: 1. sic differit: *ex voluntate perversâ, facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Huc referri potest quod Virgilius lib: 9. Æneid: canit:

- - - *Facilis descensus averni*
Noctes atq; dies patet atri janua ditis
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Cur peccata assimilētur funibus. Proverbiorum 15. assimilat Sapiens peccata funibus, dicens: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Quæ rogo causa hujus comparationis? Ex multis.

1ma potest esse: quia sicut fune alligatus movere se nequit, ita & peccato adstrictus nullum salutarem motum efficere valet; si quidem juxta Theologorum doctrinam, nulla opera, quamvis aliàs viderentur heroica, in statu peccati facta, conducunt ad salutem, nec prosunt saltem immediatè efficaciter ad vitam æternam: mortua enim sunt.

2da

2da ratio, quia sicut funis ex tenuibus grandescit filis; ita & graviora peccata, à levioribus initium sumunt, juxta illud Eccl: 19. *Qui modica spernit paulatim decidet.* Sicut enim per frequens stillicidium & madefactionem tignorum domûs, disponuntur ædes, ut fœde corruant, sic per levia peccata disponitur homo, ut tandem in præceps vitiorum abeat. *A minimis ad maxima fit progressus.*

Henricus Farnesius Eburno, ut demonstraret, à principiis tenuissimis, res nonunquam maximas enasci, crocodilum depinxit, ovis suis vicinum, cum inscriptione: *Maxima de minimis.* Nam animalis hujus ova anserinis paulò majora, tandem vastam belluæ molem, nullo crescendi termino continendam excludunt. Sic peccata à minimis initiis in summa excrescunt: unde S. Chrisost: hom: 87. in Matth: ait: *Quid enim est risus, aut quid unquam ex risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta.*

Et concludit tali epiphonemate: *Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit, & inde ad desperationem detrudit.*

Optimè hæc ipsa veritas adumbrari potest in Samsone, qui amissis crinibus deplorandam sui roboris, & vitæ subiit jacturam, fecitq; talis lemmatis occasionem: *Sic vires è minimis pendent.* Ita nimirum [ut S. Bernardus de ord: vit: & mort: instit: instruit] *A minimis incipiunt, qui in maxima prolabuntur. Verissima est sententia: nemo repente fit summus.*

Referunt non pauci Authores, quod Aquila, minutissimo pulvere intra alas collecto, sese inter cervi cornua insinuet, ubi pulverem omnem in cervi oculos excutit, eundem tandem penitus excæcatum è rupe præcipitat, ac vitâ privat: inde ortum lemma: *Ex pulvere mortem.* Ad similem cæcitatem, sed gravius, quia æternum præcipitium deducunt plerumq; hominem, ea quæ sibi videntur minima; ut bene monet D. Cyprianus: serm: 2 de zelo & liv: *Dominus prudentes nos esse jussit & cautâ solicitudine vigilare præcipit, ne adversarius* *Pulvis excæcat oculos.*

vigilans semper, & semper insidians, quando in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, & parvis maxima exaggeret, & dum remissis & incautis leniore aurâ, & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & salutis ac vitæ naufragia moliatur.

Plinius lib. 8. c. 5. de Elephante testatur: *Elephantes amnem transituri, minimos præmittunt, ne majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgitis altitudo.* Unde Lucarinus, minoribus flumen ingressuris, inscriptionem adjecit: *Sequentur majores.* Simili quoq; gradu, à levioribus noxis ad gravissima descenditur peccata, ut innuit Horatius lib. 1. Epist: 20.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram.
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Expressius id ipsum D. Chrisost. ad Galat 1, prosequitur, ubi ait: *Ob id majora scelera subierunt, quòd minoribus debita correctio non adhiberetur.* Et: *In animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.*

Pulchrâ similitudine eandem rem enucleat D. Greg. Nazian: car. 3. ad Virgin: inducens Adami querelas, ob unius pomi esum, ad magnam miseriam & pœnas destinati.

Exiguus cibus mihi mortem invexit acerbam
Nam scelus hoc, scelerum densissima turba secuta est,
Non aliter, quàm cum perruptis mœnibus, urbem
Ingreditur miles, sequiturq; exercitus omnis.

Narrant Historici quòd ficus indica, tam admirabilis sit fæcunditatis, ut ejus folium mediâ sui parte, in terram plantatum, non solùm radices agat, sed etiam alia folia ex se producat, quæ folia non minùs fæcunda, iterum generant, donec longo semper ordine, alia ex aliis succrescentia ingentem ac in amplum diffusam arborem constituant. Huic Carducius subdidit Epigraphen: *Fronde parit sylvam.* Parem fæcunditatem præferunt scelera; quæ à minimis incipiunt, ut in maxima grandescant.

Ciphra nullum valorem referre videtur, si se sola fuerit; adeò ut pas-

ut passim ab omnibus cum nihilo confundatur; hæc tamen alteri cujvis sociata numero, non levem summam constituit, cui subscripsit quidam: *E nihilo plurima.* Eam experiuntur veritatem, qui nihili levia æstimantes peccata, ad summa pervenerunt; illaq; grandem & periculosam multiplicandi occasionem subministrarunt, quæ nihili æstimabantur. Monet itaq; universos D. Isidorus, de norma bene vivendi; ut quasvis noxas quantumvis minimas; summo conatu evitemus; dicens: Qui verba mala non reprimit, ad noxia citò transit: & qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit; minor namq; culpa majorem generat.

3tia ratio prædictæ comparationis peccatorum cum funibus, est: quia sicut ad rumpendum grandiorem funem, homini vires naturales ac ordinariæ non sufficiunt; ita superat id naturalem potentiam hominis, ut exuat peccati vincula, quæ sibi voluntarie imposuerat. Hinc David Psal: 115. agit Deo gratias, quòd eum ab ejusmodi vinculis liberaverit, dicens: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Per hoc innuens non alterius, nisi Divinæ potestatis esse, hos peccatorum dirumpere funes.

Ut autem alias omittam rationes, illa huic loco, maximè convenit, quam Venerabilis Beda, in hunc locum scribens affert, ubi dicit: *Impii funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incessabili augmento suæ pravitatis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo semper & involvendo, filis fila adauget.* Nempe hæc criminum est connexio atq; colligatio; ut unum peccatum trahat ad aliud. Sic gula trahit ad libidinem, libido ad factum &c. Et ut S. Ambrosius lib: 1. de Virgin. ait: *Non est sola ebrietas; primum ebrietatis malum, pudicitiæ periculum;* ibi sermo petulans, procax, jurgiosus, lascivus &c: ex quibus omnibus fit funis tam implexus & crassus, ut rudentibus nauticis æquari possit. Hi sunt illi rudentes, de quibus S. Petrus loquitur. 2. Ep cap. 2. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Peccator enim sibi ipsi è propriis flagitiis funem nectit, quo se detrahit ac devolvit in præceps.

Docent

Docent Naturalistæ, Crocodilum, quamdiu vivit, crescere. unde lemma: *Cum tempore crescit.* Certè vitia nullum incrementi sui terminum, aut mensuram habent. Verissimè Seneca; *Ista quantumvis exigua sint, in majus excedunt; nunquam perniciosa servant modum &c.*

ANNOTATIO 4ta.

NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS.

VNa Sapientia deserit corporis mansionem, seu hominem affectionibus carnis illaqueatum, & plura peccata eundem sibi subjugant.

Servire Deo renuẽs, multorum servituti subjicitur.

Ita nimirum, qui uni sapientiæ, id est Deo ac Virtuti servire renuit, necesse est ut pluribus vitiis, tanquam immanissimis tyrannis subjiciatur.

Apposité D. Ambrosius lib: 7. in Luc: exclamat: *Misera servitus cui vagum jus est. Plures enim Dominos habet, qui unum non habet.* Et in illud Psal: 118. *Tuus sum ego salvum me fac,* scribens ait: *Satis rarus est, qui possit dicere: tuus sum. Non potest dicere secularis: tuus sum. Plures enim Dominos habet. Venit libido, & dicit: meus es, quia ea, quæ sunt corporis concupiscis. Venit avaritia, & dicit: meus es, quia argentum & aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est. Venit luxuria, & dicit: meus es; quia unius diei convivium, pretium tuæ vitæ est. Venit ambitio, & dicit: planè meus es, nescis quòd ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires? nescis quòd ideo, potestatem in te contuli, ut meæ te subjicerem potestati? veniunt omnia vitia, singula dicunt: meus es, quem tanti competunt, quàm vile mancipium est.*

Luc: 14. Homo quidam fecit cænam magnam lautissimumq; & opiparum præparavit convivium; Cùm inter alios invitatos, Unus ab expeditis ad id munus obeundum, servis, vocaretur ad cænam, re-

ſpondit: *Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, habe me excuſatum.* Præſupponendum imprimis per hunc hominem, qui fecit cænam magnam, juxta ſenſum SS. Patrum, denotari Chriſtum Dominum. Sic enim S. Greg: hom: 36. in Evang: loquitur: *Quis iſte homo eſt? niſi ille, de quo per Prophetam dicitur: & homo eſt; & quis cognovit eum?* Expreſſius id ipſum D. Auguſt. proponit de verb: Domini ſerm: 33. *Quis eſt iſte homo, niſi mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Accedit & S. Bonaventura, qui in Luc: 14. aſſignans rationem cur Chriſtus Dominus vocetur homo quidam? ait: *Nam Chriſtus dicitur homo quidam, ſingulariter conceptus ſine virili ſemine, natus ſine Matris dolore.* Hoc ſuppoſito, expendamus accuratiùs circumſtantias vocantis ac invitantis Chriſti, & excuſantis ſe hominis. 1ma Circumſtantia ex parte Chriſti eſt, quòd licet Chriſtus ſit Dominus omnium non imperioſè tamen trahendos ad ſe, ſed benevolè invitandos judicaverit homines. Tum quia magnificentius ſibi eſſe duxit, ſi liberè quiſq; ad ſua evolaret obſequia, quam ſi inviti traherentur. Poterat quidem Deus, Te cogere o homo! ſed coactum ad ſua obſequia ſervum, haud patitur admittendum ejus Magnificentia. Tum quia cum majore gloriâ, id futurum erat creaturæ, ſi liberè obſequia deferret Deo, ad quæ tenebatur ex natura. Tum quia voluit demonſtrare ſalvator in plena libertate conſervatum eſſe hominem, nihilq; per ſuas illuſtrationes ac vocationem libero hominis derogari arbitrio. Unde S. Auguſtinus lib: ad Marcellinum c. 34. dicit. *Miſericordia Dei prævenit nos, conſentire autem vocacioni Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et S. Thomas quæſt: 3. de Potentia, art: 7. ad 13. *Voluntas dicitur habere Dominium ſui actûs, non per excluſionem Cauſæ primæ, ſed quia Cauſa prima, non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam, & ideo determinatio actûs relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis.* Tum quia amorem ſui, benevolâ invitatione conciliare, ejuſq; pretium intimare creaturæ, quàm ſeverioribus edictis timorem incutere maluit. Efficacior

Dei ſervitium libertas

enim ad parandos in subjectionem subditorum animos Principum benevolentia, quàm armata ad incutiendum pavorem majestas &c. 2da circumstantia est, quòd Christus non ad laborem, non ad vilia, abjectaq; munia, sed ad cænam magnam, non parvo comparatam pretio ac impensis, invitet: *Fecit cænam magnam. misit servum horâ cænæ dicere invitatis.* Nam servire Christo ejusq; subesse legibus, non est labor, nec vile obsequium, sed magni ad instar convivii. Unde Regius Vates Psal: 118. ait. *Portio mea Domine dixi, custodire legem tuam.* Et in alio loco. *Legem posuisti mihi, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Sub mundi, carnis, ac dæmonis potestate vivere, ingens jugum, atq; extremum exitium est, inter servos Christi numerari juge convivium, & plusquam regium est.

Quos Deus ad sua invitat obsequia, ad magnam cænam vocat, quam summa subsequitur quies. Propterea etiam David Psal. 115. maximè inde exultat & gloriatur. *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Volens universos docere: nihil majus aut gloriosius esse, quam servire Deo. Ex parte autem excusantis hominis 1ma est circumstantia consideratione digna: *Emi,* inquit, *juga.* Christus benevolentissimè omnia offert homini, & oblatam recusat gratiam acceptare homo; à mundo emi debent non levi pretio, quæ habere exoptat homo; & nullis parcitur sumptibus. Christus invitat amicabilissimè ad convivium, & contemnitur; durè imperat & jugum imponit mundus, & obtemperatur. O miseram mortalium sortem! o deplorandam cæcitatem! Rectè D. Bernardus, bestiis ejusmodi hominem comparat, dicens: *Bestialior, bestiis comparatur, qui juga necessitatis eorum, propriâ ipse subeat voluntate.* 2da circumstantia maximè ad præsentem materiam serviens, est; ubi ait invitatus: *Juga boum emi quinq;.* Ab unius Christi vocatione recessit, & sub plura juga collum misit. Uni servire recusavit, & multis subjicitur. Nonne commodiùs unum, & quidem suave, ferendum erat jugum, quàm quinq;, & hæc boum gravissima & ignominiosa sustinere? sed

Grave jugũ patitur, qui suave Christi excutit.

sed hæc est protervæ ac inconsultæ mentis pæna, ut quæ à suavissima lege Dei, eximi contendit, plurima & vix sufferenda admittat juga; ut citatus mellifluus Doctor D. Bernardus ait: *Cùm sine jugo esse non possint, quale hoc ipsum est? eligere potiùs quinq;, quàm unum. quis enim potest servire quinq; Dominis, nedum quinq; prædonibus? &c.*

Apposité assimilari potest homo unius Dei obsequia deserens, ejusq; præceptorum jugum excutiens, fluvio suum alveum deserenti, & in multos effluenti rivos; de quo canitur:

In plures quoties rivos deducitur amnis
Fit minor, atq; undâ deficiente perit.

Ita enim sub unius imperio detrectans vivere, sub plurium tyrannide emori cogitur.


Comparari item potest cum ovicula à suo Pastore in sylvas aberrante, quæ molestiùs ferens sui Pastoris custodiam, in prædam multorum cedit luporum. Unde S. August. lib. de Pastor. c. 8. monet: *Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oves non hærent Pastori.* Eandem sententiam S. Petrus Chrysol. serm. 168. promovet, ubi dicit: *Ovis vocem Pastoris oblita, dum lupinis ululatibus credit, & caulas perdidit salutares, & tota lethalibus est sauciata vulneribus.* Simile quid S. Joan Chrysost. tom. 6. serm. de Bapt. Chr. adducit, loquens de Juda preditore: *Nisi se ipsum à Pastore segregasset, belluæ præda factus non esset.*

Plurium aliarum annotationum hi insuper fontes esse poterunt. Imo Sapientia non habitabit in corpore subdito peccatis. Haud enim conveniens Sapientiæ domicilium est, quod obnoxium peccatis. Nam sicut vitrum sordibus & luto infectum, minimè aptum reperitur ad excipiendos solis radios; item turbida aqua, ad species vultûs humani repræsentandas; ita & homo ineptus est ad complectendam Sapientiam, qui vitiorum fæditate squallet. Vespertilioni subscripsit Archangelus Conter: *Cæcutit lumine:* Ita pariter homo carni deditus, ad negotia divina contemplanda, cælestemq; Sapientiam capiendam

nunquam eluctatur: ut S. Augustinus lib: 2. de lib: arb: cap: 16. ad Deum oratione directâ, innuit: *Qui se avertunt à lumine tuo, tanquam dorsum ad te ponentes, in carnali opere, velut in umbra sua defiguntur.* 2do Refugit Sapientia corpus peccatis subjectum. Liberas nempe, nec ullis affectionibus implexas incolit mentes, servilem aversatur animum Sapientia. Illud ad amatores veræ Sapientiæ accommodari potest, quod D. Augustinus ad cultores libertatis usurpavit, de vera Relig: c. 48. monens: *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat.* Quicunq; desideriô fertur obtinendæ Sapientiæ, terreni carceris; & compedum sit impatiens. Succinum paleas attrahit, non alicujus violentiæ injuriâ, sed virtute tranquillâ & suavi, unde illi additum lemma: *Non vi, sed virtute.* Haud aliter Sapientia humanis mentibus sese insinuat; illas enim incolit, quas sibi virtus præparavit, longè eas aversatur, quæ vitiorum jugô tenentur.

Sed jam huic imæ parti, finem imponere placet, plura secuturis, ejusdem explicandi Capitis Partibus, si sic Superis Superioribusq; placebit, reservando.

Ad M. D. T. O. M. Gloriam. V. I. C.
Honorem. SSrumq; Tutelarium.
VENERATIONEM.



INDEX

INDEX

Rerum Notabiliorum

A

Ab Animo ordinato omnis profectio pag. 30.
Abundare debet, qui sibi & aliis vult sufficere, p. 19.
Adriani præclarum dictum Præsidibus observandum. p. 26.
Adulatores arcendi à consilio p. 155.
Æquanimitas ad omnes. p. 56.
Affectus errat in judiciis. p. 49.
Affectus malè rebus imponit nomina. p. 50.
Affectus plerumq; de rebus format judicia. p. 47.
Agathon silentium discit. p. 43.
Agnus non sibi vellus portat. p. 16.
Alexander monet, ut suo nomini respondeant. p. 29.
Alexander vult inter Deos referri. p. 31.
Alexandri unum scelus omnia præclare gesta contaminavit. p. 18.
Alipius sibi præfidens miserè cecidit. p. 173.
Amor efficax ad persuadendum. p. 10.
Anima malevola quid? p. 165.
Animæ malum maximum cæcitas. p. 94. & 196.
Animalia vocat Adam ex prævisione qualitatum. p. 28.
Animi index vultus. p. 26.

Animorum unio. p. 74.
Applausus Græcorum qualis in introductione Imperatoris? p. 24.
Apologus de Leone asino & lupo male judicantibus. p. 50.
Apologus de Corvo. p. 104.
Apostoli congregati merentur videre Christum. p. 54.
Apostoli sine sacculo & pecunia mittuntur cur? p. 68.
Aqua piscinæ Probaticæ, nonnisi turbida sanat ægros. p. 25.
Arbores excusant Regnum cur? p. 27.
Argumentum Libri Sapientiæ p. 3.
Aristippus persecutorem vicit, silendo & cedendo p. 190.
Author Sapientiæ Libri secundarius incertus. p. 1.
Variæ de illo Patrum Opiniones. p. 2.
Augmenta perfectionis Majora semper debent esse. p. 85.
Aures obturat Christus ad preces pro homine immisericorde. p. 100.

B.

Benevolentia plus efficit quàm furor. p. 191.
Boni à Malis citiùs pervertuntur quā mali à bonis meliorentur p. 119.
Bonitas latere, non apparere quærat. p. 44.
Bos ad dignitatem Cherubini evectus. p. 42.
Bucefalus excultus præter Alexandrū, aliū non admittit sessorē p. 26.

C.

Camillus detestatur dolos p. 58.
Candida vestimenta cur requiruntur. p. 53.
Cæcus esse mavult Democritus quam impudicus. p. 35.
Cæcitas animæ maximum malum. p. 196.
A Capite malum incipit. p. 15.
Cervæ imposita torques aurea ut servaretur à venatoribus. p. 199.
Charitas omnium virtutum radix. p. 10.
Charitas ordinata, à se incipitat. p. 20.

Chri-

Christus Apostolis, non turbæ, fragmenta panis porrigit, Cur? p. 15.
Christus non habet locum in diversorio, cur? p. 64.
Christus in hostia variis variè apparet: 104.
Christus cur citò emundat leprosum. p. 101.
Cur flagello pellit de templo. p. 21.
Cicada exprimit peccatorem improvisum. p. 193.
Cogitatio est origo mali. p. 33. & 34.
Cogitatio prava quando est peccatum. p. 125. & 126.
Cogitationis pravæ origo. p. 122,
Quomodo ei occurendum p. 123. & 124.
Collectæ in unum creaturæ laudantur. p. 72.
Columbæ accipitrem eligunt in Regem. p 105.
Columbæ seductæ, comparatur peccator, & columbæ sine corde. p. 196. [& 197.
Cælum merita obtinent non officia. p. 29.
Confessio medicina peccatoris. p. 130 Confiteri culpas Sapientis est p. 20.
Consensus animorum juvat ad inveniendum Deum. p. 67.
Consortem Deus non patitur in uno corde, p. 63.
Consortia malorum periculosa. p. 174.
Constans animus in omni fortunæ alea. p. 60.
Conversatio mala vitanda. p. 117.
A Consilio arcendi adulatores. p. 155.
Conformitas cum voluntate Divina Deo placet. p. 101.
Cor candidum conjungit cum Deo homines. p. 53. totum sit Dei. p. 65. est altare. p. 97.
Corpus cur dicitur subditum peccatis? p. 168.
Correptio sit temperata. p. 160.
Correptio non intendatur, nec remittatur. p. 160.
Correptio vitiorum sit sine furore. p. 159.
Corripiendi modus sit à virtute præscriptus, non à passione corruptus. pag. 158.
Corruptio aliorum non meretur Dei misericordiam. p. 106.
Corruptio Iuvenum ab incauta lingua. p. 34.

De Corvo Apologus. p. 104.
Corvorum ova non excluduntur si pulvere adspergantur. p. 24
Cosmas Abbas mortuus non sustinet hæreticum in eodem sepulchro. p. 177.
Curiositas in scrutandis Divinis cavenda, p. 96.

D

David in omni fortuna immutabilis. p. 62.
Dæmon præsidibus maximè struit insidias. p. 14.
Delictum unius in omnes trahit pænam. p. 70. & 71.
Democritus oculis se privat, ut à fædis cogitationibus liberetur. p. 35.
Dei præsentia efficax medium ad perfectionem. p. 125.
Dei notitia amore acquiritur non subtilitate ingenii. p. 95.
Deus consortem non patitur. p. 63.
Deus incomprehensibilis. p. 98.
Deus quomodo tentatur. p. 93.
Deus quid sit? interrogatus Epictetus ac Simonides, p. 96.
Deus semper restat quærendus. p. 81.
Deus se assimilat hominis erga se, propensioni. p. 99.
Deus talem se homini præbet, qualem homo se Deo. p. 100.
Dies prima unde incepit. p. 82.
Discordia ædibus pellit. p. 73.
Dispositioni cujusq; gratia commensuratur. p. 103.
Divisio privat cælesti gloria. p. 71.
Divisiones facere perversi capitis est. p. 132.
Dolositas quid? p. 11.
Dolositas à consortio Dei & hominum removet. p. 57.
Donis Dei non intumescendum. p. 80.

E

Eleazarus præmitti potiùs in infernum eligit quam fingere. p. 69.
Electi ad honores, aliis fructum ferre debent. p. 17. [212.
Errare absq; intelligentia maxima pæna: p. 193, Errores fæcundi. p.
Eucha-

Eucharistia mundo corde sumenda, p. 75.
Eunomius hæreticus notitiam Dei jactat. p: 96.
Exempla majorum instruunt posteros, & à malo revocant. p, 14.
Exempla dolositatis damnatæ. p. 58.
Exempla varia deducentia nihil posse esse occultum p. 37.
Exemplo Reguli tota Domus credidit. p. 14.
Exemplo Rudolphi milites excitantur ad ferendam. sitim. p. 14.
Exemplo Sponsæ domestici trahuntur. p. 15.
Exemplum bonum efficax ad docendum. p. 146. & 149.
Exemplum Principum bonum, est salus subditorum. p. 12.
Exemplum Patientiæ Phocion & Moyses eremita. P. 189. & 190.

F

Factores Legis justificabuntur. p. 28.
Felicitas peccatoris infelix. p. 108.
Fermentatum cur Deus prohibet. p. 54.
Fidei exercitium. pag. 12.
Fidem quis habet in Deum. p, 94.
Fides bonorum omnium fundamentum. p. 110.
Fides antecedit visionem Dei. p. 117.
Fides sine operibus mortua. p. 118.
Fides vilis quæ miracula exigit. p 115.
Flagello vendentes de templo pelluntur. p. 201.
Fontes pro diversitate cæli mutantur. p. 62. Fluvius Narva venenosos serpentes non patitur, p. 202.
Fuga peccati gloriosa. p. 171.
Fumus ascendendo deficit. p. 27.
Furor caveatur in vitiis corripiendis. p. 159.

G

Galba optimus ad imperandum nisi imperasset. p. 26.
Galeacius Dux causidicum vafrum necari jubet. p 58.

Gallos monetæ Pardani imprimunt. p. 69.
Gallus gallinaceus rejcitur à ſacrificio cur? p. 39.
Ad immunda animalia revocatur. p. 63.
Gladius non lapis in Anathema redditur à Davide cur? p. 40.
Gloria ſoli Deo ex operibus noſtris. p. 218.

H

Hæretici negant Librum Sapientiæ eſſe canonicum. pag. 1.
Hilaritas innocentis fulmen impio videtur. 111.
Honores mutant ac pervertunt mores. p. 26.
Honoratis vitia adjunguntur. p. 27.
Horologii ſono proditur furtum, p. 38.
Hoſtia Sacra in Hiſpaniis varias formas induens. p. 104.

I

Jacob Patriarcha ſua oſſa efferri jubet ex ægypto, p. 176,
Imitatio Chriſti, via ad inveniendum Deum. p. 11.
Immutabilitas. p. 62.
Inconſtantia reprobatur p. 61.
Index animi vultus. p. 36.
Indignum ab iniquo divina prædicari: p. 151.
Intellectus captivari & ſubmitti debet in cognoſcendo Deo. p. 99.
Ab interioribus externa procedunt. p. 31. & 32.
Inquieti à cælo aberrant. p. 61.
Inſula Ivica nulla patitur venenata animalia. p. 199.
Invidia malum incurabile. p. 183. Obſtinatum in malo vitium. p. 187.
Invidia comparatur cum verme, cum inferno. p. 184. cum igne p. 188. Cum cepa. 180. Cum veſpertilione. p. 180. Cum Ætna, cum putredine, p. 183. Invidia facit homines inſanire p. 181. facit eos abſq; conſilio. p. 189. Invidia ipſos invidos conſumit. p. 111. Eſt peccatum ad mortem. p. 186. Invidi cur dicuntur parvuli. p. 179. Invidi deſtituuntur ſapientiâ

p.

p. 178. Sunt stulti. p. 182. diabolo pejores. p.180. Viles p. 1191.
Judex debet esse æquanimis. p. 22.
Judicia de rebus ex affectu. p. 47.
Judicia diversa pro diversitate affectuum. p. 49.
Judicia in porta urbis absolvebantur, p. 174.
Judicii forma. p. 23. Judicii depravati Apologus. p 50,
Judicis oculi debent esse clausi p. 21. Jugum peccati gravissimum; p, 208.
Jurgia vincit silentium. p. 188.
Justificabuntur soli factores Legis. p. 29.
Justitia debet esse absq: respectu. P. 21.
Justitia est virtus ad alios. p. 16.
Justitia, non respectus examinet, causas p. 22.
Justitia sit misericordiæ conjuncta. p. 161.
Justitiam docens in culmine virtutis consistat. p. 152.
Ad tribunal justitia & æquitas, non respectus ac discretio personarum præsidere debet. p. 21.
In foro Justitiæ nihil dandum respectui, nihil sanguini.
Justitiæ varia acceptio apud Patres. p. 7. & 8.
Justus cur palmæ comparetur p. 83.

L

Lapis non relinquitur in templo cur? p. 40.
Lapsus magnorum ingens. p. 203. & 204.
Latere nihil diu potest p. 36 36.
Latroni paradisum Christus sine dilatione promittit. p. 103.
Lætus qui nullius ruinæ causa fuit p. 110:
A Collectione virtutum Laus plena. p. 17.
Leges dolosi hominis iniquæ. p. 57. & 58,
Liber Sapientiæ canonicus. p. 1.
Legis totius observatio requiritur. p, 18.
Lingua incauta corrumpit Juvenes, p. 34. Novaculæ comparatur, pag: 69.

Lucil-

Lucillo præſcripſit Philoſophus taciturnitatem. p. 43.

M

Magdalenæ Pænitentia. p. 46. Majorum vitia notabiliora p. 204. & 205. Magnorum ingens eſt lapſus: p. 203. & 204.
Malevola anima quid? p. 165.
Malevoli hilaritate Innocentum offenduntur. p. 111.
Malevolum averſatur Sapientia. p. 165.
Mali ad quem finem in mundo. p. 93.
Mali quandoq; ſunt Sapientes ſed non cæleſti Sapientiâ. p. 1. 66.
Mali remedium à radice incipiendum. p. 33.
Malorum conſortia periculoſa. p. 174.
Malorum ſuorum ſibi quiſq; cauſa. p. 133.
Manum Moyſi de ſinu exemptam lepra inficit. p. 46.
Malitia plus ſibi nocet p. 136. & 138.
Manus propria mala parat, p. 133.
Malum incipit à capite p. 16.
Malum à cogitatione incipit. p, 33. & 34.
Malum tegi nequit. p. 37.
Mari mortuo omnia ſupernatant, p. 38.
Marius Imperator, eo ipſo gladio, quem fecit periit. p. 105.
Meritum loquacitate perit. p. 49.
Medicina morborum odium ſingularitatis. p. 28.
Merita præmittenda ſunt præmiis p. 117.
Minima peccata gradum faciunt ad maxima, p. 213.
Miſericordia Dei eſt timenda peccatori. p. 107. & 178.
Miſericordiâ indigni qui plures in malum conveniunt. p. 109. & 108.
Modus corripiendi quis eſſe debeat? p. 158.
Moneta crucifixum referens. p. 45.
Morbi Cauſa peccatum. p. 33.
Ex modicis ingens malum. p. 143. & 144,
Mortis memoria medicus animæ p. 23.

N

Nocet plus sibi, qui aliis nocere Optat. p. 36. 142. 140. & 139.
Nomen Divinum cur solùm mirabile prædicatur. p. 97.
Nomen magnum vitio perditur. p. 30.
Nomen non meretur iniquus, p. 29.
Nomina male imponuntur ab affectu. p. 50.
In solo Nomine splendor. p. 29.
Nomini respondendum. p. 28.
Novitatum pænæ. p. 75.
Nox illuminatio. p. 36.
Numæ Pompilii speculum ex Calvariis mortuorum. p. 24.

O

Observatio totius Legis ad integritatem Laudis requiritur. p. 18.
Obtrectatores vincuntur silentio. p. 189. & 190.
Occulta emergunt in apertum. p. 35. & 37.
Odoramenta in aperto posita gratiam perdunt. p. 41.
Opera habent suam linguam. p. 14. 38. & 146.
Opera efficaciora ad persuadendum, quàm verba. p. 148. & 147.
Origo cogitationis pravæ. p. 122.

P

Pambo diu discit silentium. p. 42.
Parva magnorum origo malorum. p. 14.
Passiones magis domandæ quam hostes. p. 20.
Pastor non se ipsum sed oves pascere debet: p. 16.
Patiens Angelo similis, p. 192. Patientia & placabilitas hominem Deo facit similem. p. 191.
Patientia in adversis maximum miraculum. p. 93. Patientiæ exempla. p. 190.
Paula Romana obtrectatores silentio & oratione vincit. p. 189.
Pauperem precantem non audiens non exauditur à Deo. p. 109.

Gg Pec.

Peccata cur Nubi comparentur? p. 134. Peccati jugum gravissimum pag: 208.
Peccatis subjici stultitia. p. 207.
Peccati radix evellenda p. 34. Peccatum nullum inexpiabile. p. 184.
Peccatum causa morbi. p. 33. Peccatum ad mortem quod? p. 185. & 186.
Peccatum nunquam solitarium incedit. p. 209. Unum trahit ad aliud. pag. 210. A minimis ad maxima progressus. p. 213.
Peccatores sepulchri memoriâ ad meliorem frugem reducuntur. p. 25.
Peccatoris felicitas infelix. p. 107. & 108. Comparatur cum columba seducta. p. 196. item cum columba sine corde p. 197 cum peregrino. p. 193. cum funibus. 215.
Pectus tundit Publicanus, ut mali radicem tollat. p. 34.
Pelliceæ tunicæ ad quid datæ primis Parentibus. p. 25.
Perfectionis augmenta semper debent esse majora. p. 83.
Perfectionis terminus in hac vita non datur. p. 81.
Periclis magnanimitas in ferendis injuriis. p. 188.
Pericula vitanda. p. 112.
Persecutio à suis intolerabilis. p. 141.
Petrus in Præsidem electus quomodo instituitur. p. 16.
Petrus reprehenditur renuens sibi lavari pedes, p. 75.
Petrus singularitate corruit. p. 79. illam aversatur. p. 79.
Phocion exemplar fortitudinis in ferendis injuriis. p, 189.
Piscis suppeditat staterem, ad gabellam á Christo solvendam. p. 39.
Plures ubi peccant, indigni commiseratione. p. 108.
Pænitentia publicani unde laudatur? p. 25. Pœna maxima mali hominis, errare absq; intelligentia. p.193.
Pœna in terra Sodomorum ad speciem tantùm. p. 44.
Pænitentia Magdalenæ. p. 46. & 47.
Præco sermoni vitam conformet. p. 153.
Prædicator á veritate dicenda non se sinat abstrahi terroribus. p. 157.
Præsidibus dæmon insidiatur. p. 14.
Præsumptio periculosa p. 172.

Præ-

Præsentia Dei efficax medium ad vincendas tentationes. p. 125.
Princeps se ipsum regere debet, ut alios bene gubernet. p. 19. & 20.
Principes debent esse ad instar putei, ad instar luminarium. p. 16.
Principes formandi, ut alii informentur: p. 13.
Principum exemplo subditi conformantur. p. 13.
Probus, vir sui nominis p. 28.
Prudentia quid? p. 11.
Puer in medio Apostolorum cur statuatur. p. 41. 54. 55. & 56.
Pugiones dolose tecti. p. 57. Pulvere excæcantur oculi cervi. p. 213.
Puritas Christo placet. p. 102.

R

Regnum cælorum cur thesauro abscondito comparetur? p. 45.
Regnum duos non patitur p. 66.
Religiosus segniter vivens memoriâ mortis reducitur ad fervorem. p. 25.
Remedium mali à radice incipiendum. p. 33.
Respectibus pauci non abducuntur. p. 155.
Rudolphus Imperator exemplo suo ad ferendam sitim incitavit. p. 14.
Ruinam quisq; sibi imputet. p. 104. 112. & 115.
Rixarum avertendarum remedium. p. 188.

S

Salomon inter templi ornamenta posuit boves & leones. p. 162.
Salutem animæ quid magis promoveat solitudone an conversatio? p. 171.
Sanguisugæ adhærentes corpori pulvere vel sale amoventur. p. 24.
Sanctus esse debet, qui velit esse doctor. p. 150.
Sapientia aversatur malevolum. p. 165.
Sapientia Corpus subditum peccatis fugit. p. 167.
Sapientia malorum, non est vera Sapientia. p. 166.
Sapientia vera intra silentii terminos reperitur. p. 45.
Sapientiæ divisio p. 166.
Sapientis est malitiæ cedere, non resistere. p. 187.

Sapientis est mala cavere consortia. p. 170. & 176. Et silentio calumnias vincere. p. 192.
Scelera variis modis produntur. p. 37.
Scelerum medicina in ore peccatoris confitentis. p. 129.
Scelus in authorem redit. p. 138.
Scientia de Deo maxima, scire, nihil se scire p. 98.
Semen secus viam non oritur. p. 66.
Sermone cautè utendum p. 69.
Servitus peccati. p. 168. Servire Deo renuens, multorum servituti subjicitur. p. 216.
Severitas conjungenda mansuetudini. p: 161. & 166.
Silentium optimus rerum magister. p. 41. Vincit jurgia p. 188
Silentium quomodo Agathon discit. p. 43.
Similitudines exprimentes totum bonum pendere ab animo. p. 30. & 31.
Similitudines exprimentes concordiam animorum. p. 62. & 68.
Similitudines exprimentes quomodo Deus assimilet se homini. p 99.
Similitudines exprimentes constantem animum. p. 60.
Similitudines exprimentes quales debeant esse prædicatores, p. 15.
Similitudines exprimentes ex affectu judicia de rebus procedere. p. 47.
Similitudines exprimentes dolosos. p. 57.
Similitudines exprimentes uni Deo cor deberi p. 63.
Similitudines exprimentes prava consortia. p. 170. & 175.
Similitudines variæ exprimentes quod institutio debeat inchoari à Præsidibus. p. 13.
Similitudines quod Principes non sibi sed aliis vivere debeant. p. 16.
Similitudines exprimentes quod multum conducat mortis memoria ad virtutum conservationem p. 24. & 25.
Similitudines exprimentes quod neq; mala neq; bona opera diu lateant. p. 35.
Similitudines exprimentes loquacitatem esse nocivam. p. 47.
Similitudines exprimentes quod bonum latere debeat. p. 44.
Similitudines exprimentes pluribus nocere unius delictum. p. 70.
Simi-

Similitudines exprimentes malitiosos sibi plus nocere. p. 137.
Similitudines exprimentes vana esse nomina sine rebus. p. 29.
Similitudines exprimentes suæ quemq; ruinæ esse authorem. p. 105.
Similitudines exprimentes quod se ipsum quisq; priùs curare debeat quàm alium, p. 19.
Similitudines exprimentes quòd à radice, malo sit occurrendum. p.33.
Similitudines exprimentes virtutem debere esse elinguem, & tacitam. pag. 39.
Similitudines exprimentes quòd unum vitium totam laudem corrumpat. p. 17.
Similitudines exprimentes peccatorem non sentientem sua mala. pag. 198. & 193.
Sinceritas animi commendatur. p. 58.
Singularitas fugienda. p. 80.
Singularitas impedit in quærendo Deo. p. 74.
Singularitate Petrus corruit. p. 79.
Singularitatis morbus incurabilis. illius odium medicina morbi. p.78.
Simplicitas debet esse conjuncta prudentiæ. p. 11.
Simplicitatis varia acceptio p. 9,
Simplicitas cordis, compendiosa ad inveniendum Deum via. p. 53.
Socrates tria discipulis præscribebat. p. 43. Idem, discit Domi pati injurias. p. 192.
Societas prava corrumpit bonos. p. 129. est vitanda p. 130. & 131.
In sole tabernaculum Deus ponit. p. 66.
Speculum non fallens p. 24.
Speculum varias species hominum repræsentans, p. 47.
Spiritu privato alii animantur. p. 28.
Stultitia subjici peccatis p. 207.
Superbi calamitas non meretur compassionem. p. 105.
Susurrones cavendi Dominis. p. 141.

T

Tacere stulti non possunt. 41.

Taciturnitas magistra rerum. p. 49.
Talpa humorum copiâ impeditur ne videat. p. 49.
Tarpeia Virgo Romana armillis oppressa. p. 105.
Temperata sit correptio. p. 160.
Templi reverentiam requirit Christus. p. 21.
Tempus conscripti libri Sapientiæ: p. 3.
Tentatio quid? p. 85. An sit peccatum? p. 87. cur permittatur? p. 89. 91, & 92.
Tentationes unde proveniunt? p. 86.
Thales milesius astra considerans cadit in foveam p. 97.
Tormenta subit ipse, quæ aliis paravit. p. 138.

V

Venenata animalia non patitur Insula Ivica p. 199.
Venialia peccata comparantur cum Elephante p. 214 cum ficu indica ibidem.
Vespasiani commendatio p. 26.
Vestimenta candida cur requiruntur? p. 53.
Vestis peregrina quid significat. p 69.
Via inveniendi Deum, p. 11.
Vita solitaria laudatur. p. 121.
Vitæ testimonium efficax. p. 14.
Vitam optimam promovet mortis memoria p. 24.
Vita prædicatoris sermoni conformari debet. p. 153.
Vitia corripienda sunt sine furore. p. 159.
Vitia non palpanda p. 156.
Vitia honoratis adjungu tur. p. 27. Sunt notabiliora p. 204. & 205.
Vitis radicata in vena aurea Pampinos aureos protulit. p. 32.
Vitium unum totam laudem corrumpit. p. 17.
Virtus quid sit? p. 126. non omnis virtus probata. p, 127. quibus modis probatur. p. 127. Sola ad correptionem aliorum efficax est. p. 148.
Virtus corripiat non passio. p. 158.

Vir-

Virtus debet esse elinguis. p. 59. Virtus & peccatum non commo-
cantur adinvicem. p 198.
Virtus non ætas ad Regimen promovet. p. 55.
Virtus promovere debet ad munus corrigendi & docendi alios. p.
Virtutis est scelera objurgare non dissimulare. p. 154. [149. & 152.
Virtutem sibi quisq; priùs debet providere. p. 19.
Virtus præstantior sublimi genere. p. 55.
Unio Animorum. p. 84.
Unicornis nulla alia animalia admittit ad suum nidum. p. 199.
Voluntas bona, fundamentum perfectionis p. 31.
Vultus animi index. p. 36.

X

S. Xaverius commendabat Sociis curam diligi se ab omnibus. p. 10.

Z

Zeno Demii filius inqvirit viam sanctioris vitæ. p. 24.
Zizania superseminantur tritico noctu, cur? p. 36.

§§

INDEX PROPOSITIONUM

Quæ in hac 1ma parte continentur ac probantur, possuntq; servire ad usus Concionatorios & Christianos discursus.

EX PRIMO VERSU DEDUCTÆ PROPOSITIONES

1 Amor efficax argumentum ad persuadendum p. 10.
2 Bonum exemplum Principum salus subditorum. A Principibus debet incipere emendatio, ut cæteri sanentur. p. 13.

3 Ali-

3 Aliis non ſibi, Princeps vivere debet. à p. 15. ad 16.
4 Unum vitium totam laudem corrumpit, p. 17.
5 Maxima Sapientia eſt, ſibi ipſi priùs providere, ut meliùs alii inſtruantur. p. 19.
6 Ad tribunal, æquitas & iuſtitia, non reſpectus ac Perſonarum diſcretio præſidere debet. Decreta ferre, ſententiam concludere, Juſtitiæ officium eſt, non reſpectuum. p. 21.
7 Optimus diſciplinæ ac virtutum magiſter eſt mortis memoria. Mors menti impreſſa, omnium morborum animæ medicus, Sanctitatis cuſtos eſt. p. 24.
8 Degenerat quandoq; in vitia honor, & quos inveniſſe videbatur bonos, improbos perſæpe reddit. p. 26.
9. Quiſq; nomini ſuo reſpondere debet. vana nomina ſine rebus. p.38.
10 Radix & fons omnis boni, rectè ordinata mens. Ab animo & bona voluntate univerſa pendet perfectio. 30.
11 Sola Deo grata eſt, tacita virtus. p. 39.
12 Efficaciſſimum remedium eſt, bonos ſenſus conquirendi, taciturnitas, ac longâ meditatione plenum ſilentium. p. 40.
13 Non bene curatur malum quodpiam, niſi radici ejus adhibeatur remedium. A radice incipere curatio debet & bonitas. p. 33.
14 Non ſunt publicandi interni ſenſus, ſive boni ſive mali, facilè ſeſe ipſi prodent, & quæ occulta eſſe putantur in aperto ſunt. p. 35.
15 Sepulta eſſe oportet, & ab oculis, exterioreq; omnium ſenſu remota, quæ bona eſſe deſidèrant. p. 44.
16 Plus quandoq; voluntatis propenſio, quam legum, juſtiq; ratio in cudendis de rerum ſtatu ſententiis laborat. p. 48.
17 Simplicitas & animi candor, compendioſa eſt ad Deum via, cor verò fraudibus ac doloſitate plenum, & á Deo, & ab hominum conſuetudine quemq; removet & elongat. p. 53.
18 Conſtantia animi & mutari neſcia mens, facilem ad Deum inveniendum aperit viam. In utraq fortunâ conſtans eſſe debet, qui Deum, ejuſq; inquirit gratiam. p. 60.

19 Excluditur illo hospitio Deus, patiturq; angustias, ubi alii diversantur. p. 63.

20 Efficacissimum Dei inveniendi medium, si á pluribus in unitate cordis, & indivisibili animorum consensu requiratur. Personæ distinguantur, non animi in quærendo Deo. p. 67.

21 Non rectâ ad Deum progreditur viâ, qui communem vitam fugiens, singularis esse desiderat. p. 75.

22 Quantacunq; sit Sanctitas & perfectio hominis in hac vita, semper tamen superest, in quo se, quisq; magis perficiat. p. 81.

23 Nullam is habet partem cum Deo, qui non emundato corde mensæ Eucharisticæ accumbit. p. 15.

24 Ad partem Dei se spectare, ne cogitet, cujus voluntas non conformatur divinæ p. 76:

25 Cautè utendum sermone, unico verbo multorum quandoq, bonorum inducitur privatio. p. 69.

26 Sæpe fit, ut unius delicto, in omnes pæna prorogetur, uno peccante, omnes puniantur. p. 70.

EX 2do VERSU

1 Magis expedit, ut quisq; potiùs fugiat, quàm optet & appetat tentationem. p. 88.

2 Tentatio multorum bonorum est occasio. p. 89.

3 Ille perfectiùs tenet Deum, & plura de Deo novit, qui sagaci ingenio in perscrutandis divinis, minùs indulget. p. 95.

4 Talem se Deus exhibet homini, qualis fuerit homo erga Deũ. p. 99.

5 Non Deo, sed sibi quisq; debet imputare ruinam. 104.

6 Nulla planior, breviorq; via est, ad cujusq; emendationem, quã sit plenissima in Dei beneplacitum, ejusq; in omnibus, voluntatem resignatio. p. 101.

7 Nihil Deo gratius, nibil amabilius munditiâ ac puritate animæ, pag. 102.

8 Signum est interitûs nostri, quando Deus hilarem, serenamq; faciem nobis ostendit, cùm nos exasperatum irâ Dei vultum mereamur p. 106.

9 Minus est si cadat unus, veniam meretur, qui solus peccat, verũ ubi plures in malum conveniunt; ubi suus cuiq; non sufficit interitus, subsannationem Dei, non commiserationem sperent. p.108

10 Maximis ille affluit solatiis, inter medias etiam aliorum ruinas, qui ut alii ruerent author non erat. p. 110.

11 Nihil magis interimit malevolas, nihil citiùs prosternit invidos homines, quam hilaris innocentûm in omni fortunæ aleâ vultus. p. 111.

12 Fides bonorum omnium, radix fundamentum perfectionis, beatitudinis janua est. p. 116.

13 Haud ille præmiandum se speret claro vultûs divini lumine, qui per obscuræ fidei semitam progredi neglexerit. p. 117.

14 Ille dignus efficitur, cui sese videndum præbeat Deus, qui in exercitio virtutum desudat, & non solis fatigatur desideriis p. 118

15 Minùs æstimanda fides hominis est, quæ sola expectat miracula, nec aliter, nisi magno prodigiorum pretio paratur ac impetratur.

EX 3tio VERSU.

1 Citiùs à malo bonus pervertitur, qvam malus à bono rectificetur. pag. 128.

2 Perversitatis notam haud effugere potest, quisquis schismatum, divisionum, separationum author est. p. 122.

3 Quisq; sibi nocet, & se ipsum subvertit, qui aliis nocere, eosq; subvertere conatur. p. 126,

4 Frustra alienæ industriæ, suorum quisq; malorum causas attribuit, ipsius hominis ingenio, hoc malum stetit quo premitur. p. 133.

5 Præstantissima scelerum medicina in ore peccatoris confitentis. p. 129

6 Quæ nobis parva videntur, ingentium sunt origo malorum p. 143.

7. Nihil

7 Nihil intolerabilius, nihil magis alienum à rectæ rationis legibus quàm quòd se persequantur, qui commune vitæ institutum sequuntur. p. 141.

8 Plus tacitæ virtutis exempla. quàm docti verba eloquii, ad aliorum correptionem proficiunt. 146.

9 Hic ad exhortandos alios securè procedit, quem probitas & morum comitatur honestas. p. 149.

10 Probatæ virtutis indicium est, non palpare scelera, nec blandiri peccantibus., sed objurgare cujuscunq; sint vitia. p. 154.

EX 4to VERSU.

1 Verè Sapientis est malarum & depravatarum mentium devitare ac dedignari consortia. p. 170.

2 Consortia malorum, sunt peccandi ac pereundi pericula. p. 174.

3 Sapientiùs est vitare malorum consortia, qvàm spe victoriæ inter illos versari. p. 176.

4 Nihil magis rectæ adversatur rationi, magis nemo omni destituitur Sapientiâ, quàm malevola seu invida anima. p. 178.

5 Invidi quantacunq, felicitate augeantur, minimum se habere putant, si alios æq; felices advertant. p, 179.

6 Nullum incurabilius nullumquè magis desperatum invenitur malum, quàm sit invidia. p. 183.

7 Sapientis est malevolum vincere, non repugnando, & tela telis opponendo, sed benevolè cedendo, ac ejus malitiam declinando. pag: 187.


8 Hæc est pæna malevolorum, hæc ultima peccatoris miseria, errare ab q; intelligentia. p. 193.

9 Peccatum & Sapientia seu Virtus, simul in eadem sede non commorantur p. 198.

10 Nihil magis divinam provocat justitiam, quàm Domûs divinæ irreverentia. p. 201.

11 Sapientis est excludere de animo, & confiteri culpas; insipientis autem fovere intra conscientiam & occultare. p. 202.
12 Sapientis est sibi introspiciendo immorari, non aliis. p. 203.
13 Faciliùs mali quàm Viri Sapientes hominum demerentur gratias. pag. 203.
14 Magnorum ingens est lapsus. 204.
15 Superbas cadens, insultationem non compassionem meretur. p. 205
16 Multum desipit ille, qvi se peccatorum subjicit dominio. p. 207.
17 Semper vitia nisi primo in aditu excludantur, associata progredi consueverunt. p. 209.
18 Graviora peccata à levioribus initium sumunt. p. 213.
19 Qui Deo ac virtuti servire renuit, necesse est ut pluribus vitiis, tanquam immanissimis tyrannis subijciatur. p. 216.
20 Servire Christo non est labor, nec vile obsequium, sed magni ad instar convivii. p. 218.
21 Non est conveniens Sapientiæ domicilium, quod obnoxium peccatis. p. 219.
22 Liberas nec ullis affectionibus implexas incolit mentes Sapientia, servilem aversatur animum. p. 220.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0021244

